

1710

1. Beckius, Joh. Innoentius : De fatali interponensae appell.
Lithonis
2. Brustmann, Johann Leopoldus : De homicidio
rictoso seu in rixa commisso
3. Fichtnerus, Joh. Georgius : De causis dubii lites
eventus.
4. Heering, Albertus : De Fide
5. Haeffler, Christianus Fritzer. De periculo ven.
Ditoris
- 6^{a, b, c, d}. = J. H. Schramm, Haerem : De divortio
capitulum finalem communi jure 4 Sept
1711, 1721 = 1741.
- 7^{a, b}. = Numburgerus, Georg Wolf : De pecunia praesenti
causa resposita. 2 Bänd. 1710 = 1712
8. Schwarzerus, Christianus Gualt. : De limitibus prelatibus
Lithonum erga parochos

9. Sautler, Johannes Matthias : De testamento
 analphabeti
10. Soergel, Johannes Conrad : Theses juris d'ice seu
 jurales
11. Spizius, Christoborus : De loco contractus
12. Spizius, Felix : Theses ex universo jure.
 1711
1. Beckius, Joh. Ludovicus : De probatione per testes
 de eorum et aliorum deponentes
2. Fichtnerus, Joh. Georgius : De possessionis Commodis
- 3^a 2^b Fichtnerus, Joh. Georgius : De ademptione Von
 Zuckern : Ou Hand / Dalken / Vegen auf einem
 Zuckern 2 Bunde 1711 : 1722
4. Gunter, Wolff. Nicol. : De sacerdotio justitiae
 sive de officio Feli veri

5. ²¹ ~~Bubler~~, Joh. David : De causis excellentissimum
 iudicium imperiale Austriae feudatibus. sine
 concurrentia cum iudicio camerale
6. Hoening, Philippus Ludovicus : De dispositione
 circa rem alienam valide
7. Kulerus, Jo. David : Pragmaticorum politicorum
 varietatem . . . edisseret.
8. Mollerus, Fr. Guil. : De metessi barbarica.
9. Rink, Eucherius Gallus et Jun., Franciscus, vir :
 De carrociis
10. Scheurerus, Joannes Christophorus : De testamentis
 irrevocabilis
11. Schreiber, Joannes Sigismundus : De iudicio Caesa.
 res feudatili Norvegiae
12. Hübner, Joannes Gustavus : De senatusfiscus regni
 Mi'klons.

13. Spitz, Erkant : De stigmatibus vulgo
Bezei'menten o. Gebirgsmarkten.

DISPUTATIO INAUGURALIS
De
**LIMITIBVS PIETATIS
LIBERORVM ERGA
PARENTES**

QVAM
IVSSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
INCLVTA ACADEMIA ALTORFINA
P R A E S I D E
CHRISTIANO GOTTL. SCHVVARZIO

PROFESSORE PVBLICO ET INSPECTORE NORICO
SVMMI IN PHILOSOPHIA HONORIS
IMPETRANDI CAVSSA

AD D. VIII. CAL. IVLII. A. R. S. cl^o l^o ccx.
PVBLICO DISQVIRENTIVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS
IOH. CHRISTOPHORVS OESTERLINVS
NORIMBERGENSIS

ALTORFI NORICORVM
LITERIS KOHLESII VNIV. TYPOGR.

335

12

1710

5



DISPUTATIO IN VAGORUM
LIMITIBVS PIETATIS
LIBERORVM ERGA
PARENTES

AVAM
PETER ET KRISTOPH
AMALISSIMUS PHILOSOPHUS
IN VITA ACADEMIA ALTORIN
T. R. 1710
CHRISTIANO GOTTLIEB WARRNO
SUI IN P. 1710
AD D. N. 1710
AVARICO BK. 1710
AVCTOR ET RESPONDENS
IOH. CHRISTOPHVS ORSERLINVS

ALTOBROGATI
VITAE ROSTRI 1710



Q. D. B. V.

I.

Pnter officia, quae homo homini praestare debet, cum primis eminent ea, quae liberi debent Parentibus. Quae quamvis maximam partem, ipsa natura duce, perquam facile investigari cognoscique possint; existunt tamen aliquando casus, ubi animus anceps haereat, nesciatque, quid aut agendum sit, aut praetermittendum. Equidem fuerunt iam nonnulli, qui in explicandis huiuscemodi officiis operam suam collocarunt; nihilominus tamen, cum non omnes ex satis evidentibus principiis hanc doctrinam deduxisse, nec ordine satis idoneo semper eam proposuisse videantur, praetermissis saepe officiis dubiis, quae explicari oportebat; persuasus fui, haud mihi vitio datum iri, si in praesenti labor meus in hoc argumento breviter strictimque exponendo versetur. Quam quidem operam ita dispertiam, ut primum generatim originem et naturam *pietatis liberorum erga Parentes* paucis considerem; deinde speciatim casus quosdam peculiare perpendam, eos praecipue, in quibus plura inter se officia contenduntur.

Progenitus.

II.

Quemadmodum autem hoc loco per *Parentes* non nisi eos intelligo, qui ipsi sobolem procrearunt; et per *liberos*, qui à Parentibus sunt geniti: ita *Pietatis* nomine ea omnia designo officia, quae liberi parentibus debent. Quamvis enim, quod Augustinus *de Civit. DEI L. X. C. I.* animadvertit, *Pietas proprie DEI cultus dici solet, quam Graeci εὐσεβείαν vocant; haec ta-*

Explicatio nominum.



men et erga Parentes haberi dicitur. Quam in sententiam multa testimonia cum ex probatissimis Scriptoribus Latinis, tum ex monumentis numisque vetustis, si opus esset, afferri possent. Interim ea de re adire licet Ioannem VVeidnerum in *Pietate ex numis antiquiorum delineata*, p. 50. *Essequentibus*. Huius autem significationis rationem reddit D. Io. Christoph. Becmannus in *Dissertatione de Pietate Subditorum erga Principem*, anno 1679. *habita*; qui horum officiorum cum pietate erga DEVM connexionem in eo quaerendam existimavit, quod pietatis in DEVM ratio inde pendeat, quia DEO *Essentiam* *Es* *conseruationem nostri debeamus*. Parentes proinde etiam pietate prosequendos ait, tanquam vitae *Es* *educationis nostrae auctores*. Tam late autem rursus patet huius PIETATIS nomen, ut amorem gratique animi studium, item obedientiam, et reverentiam, (quibus partibus omne continetur liberorum erga Parentes officium) simul complectatur, nec ea solum notet, quae necessario praestanda sunt Parentibus, et quorum caussa manifesta est, unde nascatur obligatio; sed ea etiam, quae bona quidem sunt, ratione exercitii tamen arbitrio nostro relinquuntur; cuiusmodi actionum nulla ratio, praeter animi magnitudinem aut benevolentiam, reddi potest. Quo pertinet illa *Exsuperantia obsequii*, de qua Dissertationem conscripsit Becmannus supra laudatus, eamque esse dixit *propositum explendi mandata*, quibus *explendis stricto iure non tenebamur*. LIMITES autem certos huius pietatis esse constituendos, dixi, ut ordinem eius et fines observandos ostenderem. Hanc enim vocem ad notandos huiusmodi officiorum terminos haud male accommodari posse, praeter alios ostendit Vir Clariss. *Christ. Erdm. PFAFREYTERVS*, hodie Gymnasii Ratisponensis Rector et Professor meritissimus, in
Inqui-

Inquisitione Limitum, quibus Subditorum erga Imperantes terminatur fides. Facenim, ait, ut quispiam peregrinam regionem peragraturus eiusdemque limites examinaturus forte fortuna in trivium inciderit; ei certe, nisi admodum circumspecte agat, atque, qui viam infistendam monstret, habeat, facile contingit, ut in devia prolapsus limites praescriptos, aut transgrediatur, iustoque longius dilatat, aut dubitatione impeditus coarctet nimium, atque ulterius progredi superfedeat. Pari profecto circumspectione in pietatis, qua liberi Parentibus obstringuntur, limitibus investigandis opus est.

III.

Omnis itaque instituti nostri ratio eo redit, ut, qua fieri potest, brevitate ac perspicuitate, sepositis iam aliis legibus, ex iure naturae primum simpliciter definiamus, quousque liberi Parentum mandatis obtemperare teneantur, quantamque illis debeant reverentiam, quantum amorem gratique animi studium; et denique, quoad Pietas illa extendenda, si cum officii erga alios veniat in comparationem; ita, ut una actio necessaria, altera autem magis necessaria sit, neque tamen utrique concurrenti simul satisfieri queat. Quae omnia vero cum distincte demonstrari aut intelligi non possint, nisi cogniti simul fuerint limites officii, potestatis, et auctoritatis paternae; hinc necessitatem quandam mihi impositam sentio, ut, doctrinae causa, quaedam de origine et natura huius officii, potestatis atque auctoritatis, praetermittam. Haec enim non confundi inter se, ut plerumque fieri solet, sed distingui oportere, ex sequentibus apparebit.

Status controversus.

IIII.

OFFICIUM PATERNUM stricte sic dictum est *Quid sit officium patrum?*
actio legi naturae attemperata, quam parentes vi fo-

*Eius pars
prima.*

cietatis paternae debent liberis recte educandis. Huc adeo pertinet *I. cura in generando adhibita*. Sicut enim Parentes nostri nos generarunt; ita aequalitatis studium societatis conservandae causa nos impellit, ut et nobis et sociis no-

Pars altera.

stris iterum de futuris sociis prospiciamus. II. Huc spectat *educatio*, quae partim nutriscatu, partim institutione necessaria, continetur, eum in finem, ut soboles DEO, sibi ipsi, et aliis, recte inservire queat. Quod officium quemadmodum fluat ex lege de praestandis officiis humanitatis, demonstravit Celeberrimus Thomastius, in *Iurisprud. divina, L. III. c. IV. n. 35. et sequentibus*. Adhaec, qui est causa, ut homo existat; is quoque quantum in se est, prospicere debet de iis, quae ad vitam naturalem et socialem sunt necessaria: quoniam, illa conservatio sobolis debet esse continuatio istius appetitus, quo animalia feruntur ad procurandam primam prolis suae existentiam: uti recte monuit Cumberlandius *de Legibus naturae cap. IX*. Ut taceam obligationem ex ipsius quoque civitatis natura dimanantem; cui quam fieri potest optimos cives suppeditare tenemur. Tales autem plerumque futuri sunt cives, quales educati fuerunt in primis annis. Vnde haud male dicitur, felicitatem generis humani, quod praesenti saeculo succedet, a prolis educandae cura dependere. Ceterum per se patet, ad hanc educationem etiam referri posse defensionem libe-

Pars tertia.

rorum adversus vim et iniurias aliorum. III. Huc pertinet quoque *amor* paternus, qui superiori obligationi tanto promptius exequendae succurrit, quo Parentes liberis tanquam sui partibus non tantum de necessariis, sed de his etiam, quae ad vitam commodius, suavius, honestiusque transigendam pertinent, quam uberrime cupiunt prospectum. Cuius amoris paterni erga liberos fundamentum proximum est amor parentum erga se ipsos.

V. Se-

V.

Sequitur POTESTAS PATERNA, quae generatim est *Qualitas moralis activa, Parentibus competens in suos liberos, eorumque res et actiones.* Quae potestas utique distincta est ab officio Parentum paulo ante descripto: quamvis haec plerumque commisceri confundique soleant a scriptoribus. Quod utriusque discrimen cum primum ipse Consultiss. Thomafius in *lurisprudentia divina* non satis observasset; deinceps in *fundamentis Iuris naturae et Gentium ex sensu communi deductis* L. III. c. 4. recte statuit, *officium parentum non incipere ab eorum iure; sed potestatem, seu ius derivandum esse ex officio.* Itaque potestas patria partim effectus, partim medium est officii paterni. Dari autem eiusmodi potestatem, aut ius parentum in liberos, manifestum est, constatque inter omnes; propterea quod, docente Kulpisio, in *Collegio Grotiano, Exercit. IV. g. 1.* in *omni societate ius est, in inaequali insuper, qualis est inter patrem et filium, rectorium. Quod ex illa parte imperium; ex hac, obsequium, importat.* Verum, quod attinet tum ad *originem*, cum ad *limites* huius potestatis, mirum in modum a se invicem dissentiunt iuris naturae Doctores. Nos, missis verborum sententiarumque ambagibus, duas potissimum causas constituimus, quibus non modo illa potestas acquiritur parentibus in liberos, sed etiam vi legis naturae determinatur.

Quid sit potestas paterna?

Quomodo differat ab officio Paterno?

An datur?

Quae eius causa & origo?

VI.

Prima causa potestatis paternae est GENERATIO, qua liberi proxime subiiciuntur potestati paternae. Etenim, cum nulla generatio fiat sine *praesupposito subiecto*, seu *materia*; hinc certe, nisi communicata quadam sui parte, generatio illa fieri nequit; utpote per quam filius fit quasi pars parentum, dum ex eorum substantia excita-

Prima causa potestatis paternae est generatio.

citatur; eorum sanguine nutritur; eorum flammula vitali primum motum sibi impressum recipit; eorumque spiritibus animalibus rudimentum corporis exactius elaboratum primum actuari sentit. Docente enim Plutarcho, *in Libro de tarda DEI vindicta*, omne, quod genitum est, non, ut opificium fictum, alienum est a gignente; quia ex eodem, non ab eodem, factum est: itaque obtinet et sortitur in se aliquam ad illud pertinentium proportionem. Si itaque Pater est Dominus corporis sui, ex quo proles generata est: hinc et in ipsam prolem sequetur quoddam imperium; adeoque per generationem parentes sibi ius acquirunt in liberos, ita, ut parentes liberis imperent *αἰς ἐαυτῶν ἡ βίω*, uti Aristoteles ait, *ad Nicomachum, L. VIII, 12*. Adhaec generando Parentes DEVM creatorem huius universi veluti referunt, auctore Philone, *de Decalogo*. Iam vero, sicuti DEO primario ius in creaturas competit propter creationem; ita etiam proxime ex generatione ius parentibus in liberos comparatur, ea tamen ratione, ut, cum parentes tantummodo velut causa secunda ad generandam sobolem concurrant, eo ipso *subordinata* illorum et infinitis modis divino iure inferior potestas hinc intelligatur.

VII.

Altera
caussa pote-
statis pa-
triae est
recta edu-
catio.

Alterum fundamentum potestatis est FINIS SOCIETATIS PATERNÆ, hoc est, sobolis educatio, vitae socialis causa. Id autem incumbit parentibus, (sicuti supra audivimus,) ut filius a prima infantia ad maturitatem tum corporis, tum animi, perducatur, in honorem DEI, in suam suaeque familiae et societatis humanae felicitatem. Ad quam educationem cum parentes lege naturae obstringantur, et instinctu amoris naturalis impellantur; utique apparet, simul illis potestatem in liberos iure naturae conferri. Recte enim docet

docet Grotius, *de I. B. et P. L. II, § 24.* necessitatem finis ius facere in moralibus. Ipsum autem imperium, auctore Excellentiss. Thomasio, *in Iurisprudencia diuina L. III. c. IV. §. 30.* est *medium*, sine quo finis educationis obtineri nequit. Parentum quippe, quibus incumbit educatio, officium est, praecipere liberis, quid agendum omittendumve sit. Nunc autem nemo potest alteri aliquid efficaciter, hoc est, cum obligatione praestandi, iniungere, per modum praeepti, in quem nihil habeat potestatis. Vnde non praeter causam scripsit Lactantius, L. IV. c. 4. *Quis poterit filios educare, nisi habeat in eos partem dominii?* Quamobrem non possum non haec Pufendorffii verba approbare: *Dum parentibus cura educandorum liberorum iniungitur, eo ipso a natura iniungitur iisdem, ut imperium utique inliberos exercent, quantum ad istum finem sufficit. Nam qui obligat aliquem ad finem, censetur eidem quoque simul contulisse potestatem usurpandi media, sine quibus iste obtineri nequit. De iure Naturae et gentium. L. VII. c. 2. §. 4.* Quid? quod, monente Io. Tesmaro, *Comment. in Grotium D. I. B. et P. L. II. c. V.* ob tot molestias impensasque in vitam educationemque factas, non minus ius quoddam oriri potest parentibus in liberos, quam reliquis hominibus ob sumtus in res necessarias.

VIII.

Haec autem duo fundamenta, quae alii malo con- filio disiungunt atque separant, nos maximopere coniungenda ducimus, propterea quod neque solam generationem, neque finem solum societatis paternae, hoc est, sobolis educationem, vitae socialis causa, ad deducendam determinandamque Parentum potestatem sufficere arbitramur. Etenim, si sola sufficeret *Generatio*
 B huic

*Hae duae
 causae sunt
 coniungen-
 dae ad con-
 stituendam
 patriam po-
 testatem.*



huic potestati vindicandae, sequeretur, ut haec potestas nunquam solvi temperarique posset, etiamsi filii ex paterna familia egressi novam constituissent familiam; cum generationis idem perpetuo maneret effectus. Imo sequeretur, ut parentes eiusdem semper potestatis usum retinerent in liberos, etiam sponte a se expositos, et ab aliis educatos: cum tamen fieri potuerit, ut hi ab educatoribus obligarentur, ne genitoribus cognitis obsequia praestarent. Ita neque sola *educatio sobolis* satis est ad originem et terminos patriae potestatis demonstrandos. Nam, quamvis nemo possit negare, potestatem aliquam hinc ad parentes pervenire; ea tamen ex sola educatione tunc fortasse non maior futura esset, quam tutorum potestas in pupillos; quibus tutoribus iudem educandi officium incumbit, nec tamen ipsum ius patrium, potestate tutoria excellentius, ideo iis tribuitur.

IX.

Quibus observatis, non opus est, ut in origine limitibusque potestatis paternae deducendis confugiamus, aut ad ius victoriae, cum Hobbesio *de Civib.* *IX.* 2. aut ad mandatum divinum, cum Osiandro, *in Not. ad Grotium p. 725.* aut simul ad legem naturae et praesumptum liberorum consensum, cum Pufendorfio, *de I. N. et G. L. VI, c. 2.* aut ad divinam concessionem, et imperium a DEO *immediate* delegatum, cum Horatio, *Polit. l. 2. 3.* et Henrico Hennigefio, *in observationibus ad Grotium de I. B. et P. p. 434.* aut ad tenerimum illum amorem, quem natura inspirat parentibus erga sobolem, cum Io. Tesmaro, *in Comment. in eundem Grotium p. 276.* aut cum aliis ad pactum coniugum, vel ius opificis in suum opus, et quae sunt aliae huiuscemodi scriptorum sententiae; quas omnes examinare, aut, quatenus eae admitti possint, defini-

*Aliorum
sententiae
de origine
potestatis
patriae.*

finire velle, praefens institutum nostrum minus permittit.

X.

Nos potius, ut ad propositum nostrum propius accedamus, iam innuemus, quomodo ex nostris principiis natura et limites patriae potestatis satis luculenter ostendi queant; omnemque adeo rem paucis propositionibus comprehendemus. [L.] *Generatim Patri iuxta et matri competit in liberos potestas, nisi pacto aut lege aliud est constitutum.* Natura et limites potestatis patriae ex genuinis principiis deducti: l. ratione subiecti. Id quod exinde patet, quoniam

utrique non solum ad generationem, sed etiam vi legis naturae ad educationem simul concurrunt. Equidem inter rerum naturalium peritos disputatur, utrum soboles plus de Patre, an de Matre, habeat? Verum, cum ista de re variae Physicorum extent sententiae, in ista incertitudine nobis ea cumprimis probantur, quae Plutarchus hac in causa scripsit. *Ἡ φύσις inquit, μίγνυσι διὰ τῶν σωμάτων ἡμᾶς, ἢ ἐξ ἑκατέρων μέρους λαβῆσα καὶ συγχέουσα κινῶν ἀμφοτέροις ἀποδῶν τὸ γινόμενον. ὥστε μηδέτερον διαστῆσαι, μηδὲ διακρίνειν τὸ ἴδιον, ἢ τὸ ἀλλότερον.* h. c. *Natura sexuum corpora miscet, ut ita de utroque parte sumpta confundat, et commune utriusque reddat, quod nascitur, ita, ut neuter possit, quid suum sit, quid alienum, discernere.* vid. Grotius, *de iure B. et P. L. II. c. VIII. n. 18.*

In statu naturali autem, si extra ordinarium coniugium atque aliud pactum proles producat; hoc certior prae Patre Matri in eam prolem tribuitur potestas; quo certior generatio atque educatio eidem vindicatur: quia naturaliter magis certa incertis anteponuntur. In matrimonio denique legitimo et in societate, ordinario modo Patri quidem et Matri simul potestas in liberos tribuitur, ita tamen, ut, teste Augustino *Epist. 91.* filius ex legitimis nuptiis susceptus magis in

patris, quam matris sit potestate, in rebus scilicet mediis et in utramque partem permissis. Id vero fit non tam ob praestantiam sexus, (quod Grotius dixit) quam ob imperium mariti in uxorem. Nam, auctore Boeclero, *in Grotium de I. B. et P. p. 151. imperio Patris Matris imperium non tollitur; sed ex alio capite iuris naturalis in societate coniugali foeminam in potestate mariti constituente limitatur et restringitur.* Sed et pacto peculiari fieri potest, ut etiam in matrimonio mater vel ad certum tempus, vel in perpetuum, vel etiam in nonnullis saltem negotiis, praeferatur in regendis liberis. In cuius rei exemplum a Tesmaro afferuntur pacta dotalia Caroli I. Regis Britanniae, cum *Infante Hispaniarum*, et deinde cum Henrietta, Regis Ludovici XIII Sorore; *referente Grammondo, Libr. XIII.* itemque pactum Amazonum Reginae, quae, *commemorante Curtio, Libr. VI*, liberos ex Alexandro M. quae-siverat. Quin huiusmodi pactorum vestigia adhuc hodie deprehendimus, si quando Parentes diversis religionibus addicti ea conditione ineunt matrimonium, ut procreati mares, a Patre; foeminae, a Matre, ad suam cuiusque religionem perducantur. Sed plura, quae de hoc argumento afferri poterant, tradit Pufendorfius, *de I. N. et G. Libro VI. Cap. II. §. 5.*

X.

II. *Limites paterni iuris ratione obiecti: et quidem a. ratione actionum.*

[II] *Parentum potestas non tam in liberorum personas et bona, quam actiones, extenditur: nisi, ubi finis societatis paternae illud requirit.* Tanto autem minus dubium est, potestatem tribuendam esse Parentibus in actiones liberorum regendas, ita, ut ii, pro re nata, actiones honestas et utiles praecipere, inhonestas et noxias vetare, medias permittere possint: quanto aequius est, ut, quod Grotius ait, aliunde regatur, qui

qui ipse se regere nequit. Quod regimen parentibus potissimum convenire, supra indicavimus. Prae reliquis autem eae liberorum educandorum actiones imperio parentum sunt subiectae, quae ad familiae paternae statum aliquid momenti conferunt, monente Io. Eichelio, *de iure Liberorum et Parentum. P. II, n. 1X*: quoniam fas est, ut pars conveniat cum ratione integri. At in iis actionibus, quae *praecise* ad societatem paternam non pertinent, aliqua libertas liberis tribui solet, si iam usu rationis polleant. Videatur Grotius *de I. B. et P. L. II, c. V, §. 3.* item Buddeus, *in Elementis Philos. pract. c. IV, Sect. XI, n. 9.* Neque tamen sine summa necessitate licet liberis plane ut servis uti; cum ad decus familiae intersit, ut ii tanquam homines ingenui liberalius tractentur, quippe quos velut partem aliquam ad nos pertinere novimus, et per quos decus domus nostrae propagatum iri speramus.

XI.

Quod autem attinet ad potestatem patriam ratione ^{b. ratione personae.} personae, res magis dubia videtur. Verum, quamvis parentes ex se et sibi generent liberos, non tamen eos generant sibi solis, sed et societati humanae: itaque huius ius praecedat iuri privato, et nunquam tale ius parentibus in liberos vindicari potest, ut eo laedatur ius societatis humanae. Et quanquam filius dicatur esse pars parentum; est tamen etiam ratione humanae naturae aequae homo, ac parentes, adeoque iniuriae capax. Ad haec, licet filius consideretur tanquam pars parentum: attamen nulli homini ea potestas in se suumque corpus absolute data est, ut sibi violentas manus inferre, adeoque absque necessitate illas sui partes tollere possit, absque quibus vivere nequeat. Vnde conficimus, non licere parentibus liberos *exponere*, aut pro
 B 3 lubitu

libitu *vendere*, *oppignorare*; multo minus abortu voluntario, aut alio modo, *necare*: quoniam parentes sic iniurii essent in se, in liberos, in societatem generis humani, in ipsum DEVM. Id quod, si opus esset, ex fine generationis et societatis paternae facile posset demonstrari. Interim, cum naturae lex iubeat, ut sobolis vitam, quae fundamentum omnium bonorum est, omni modo curae cordique parentes sibi habeant: itaque, si salus sobolis et conservatio vitae eius necessario id postulet, praestat aliquando vendi et oppignorari infantem, quam plane propter inopiam perdit. Sane enim natura ipsa existimatur ius dare ad id, sine quo obtineri non potest, quod ipsa imperat. Videantur Grotius. *L. II. c. V. n. 5.* Eichelius. *l. c. P. I. §. 22.* Pufendorfus *de I. B. et P. L. VI, c. 2. n. 9. et alii.* De iure vitae et necis parentum in liberos paulo post dicemus.

XII.

c. ratione
bonorum.

Tandem per se non competit parentibus dominium in bona liberorum aliunde acquisita, sed eorum bonorum administratio et ususfructus; ita tamen, ut liberi illa absque parentum permisso alienare non possint. Quicquid enim Henr. Hennigesius ex falsa *hypothesi* contradicat, in *observationibus in Grotium de I. B. et P. p. 439.* tamen hoc absolutum dominium neque ex generatione satis adstrui potest; cum sic parentes per amorem ingenitum sua liberis bona non minus velint vindicari, quam sibi ipsis: multo minus ex educatione, quae officium potius et onus, quam titulus acquirendi, habetur. Interim, quodcumque filius acquirit e re patris, id patri acquirere censetur; propter labores et sumtus educationis causa sustinendos. Imo etiam, si parens maxime sit egenus, bona illa in educationem filii transferre potest; quod ex fine societatis paternae patet.

patet. Cetera vero praeter necessitatem parentes minus decet sibi tribuere; quum id non solum repugnet terrerimo eorum in liberos amori, uti modo diximus; sed etiam fini educationis; quo quantum in se est, filiis etiam defuturis fortunis prospicere tenentur; tantum abest, ut, nulla urgente causa, iam partas concessasque res pro lubitu ipsis adimant. Plura hac de re tradunt iuris naturae doctores antea a nobis laudati.

XIII.

[III] *Tanta est potestas parentum in liberos; quantum necessaria est ad obtinendum finem paternae societatis,* supra a nobis descriptum. Itaque ea omnia parentes iubere, vetare, permittere et agere, pro patrio iure possunt, quae directe eo pertinent, ut non solum liberorum salus procuretur, sed etiam familiae praesidium, et reipublicae utile membrum educetur. Ex hoc fine autem recte limites paternae potestatis a nobis constitui, vel exinde patet; quoniam in omnibus societatibus mensura iuris et potestatis ex fine est petenda. Pulchra sunt verba Cumberlandii, quae non possum, quin huc transferam. *Vti a fine, inquit, constituitur imperium; ita ab eodem naturaliter et necessario limitatur.* Omne enim medium fini suo exacte accommodandum est, ut nec ab eo deficiat, nec eum excedat. Ideoque manifestum est, quod, in ordine ad honorem **DEI Gentiumque felicitatem, non potest fundari imperium, quod ius habet haec evertendi.** Cumberl. *de legibus naturae. c. IX. §. VI.* Plura concessit Celeberrimus Hochsteterus, in *Collegio Pufendoriano recens edito, Exercit. X. n. 19.* ut ostenderet, officia iuraque praecipua ex FINE demonstrari posse. Sicuti autem totum hoc imperium paternum amore temperatum est; ita gradus admittit pro imbecillitate liberorum, adeo ut, quo maior imbecilli-

III. Limites potestatis patriae, ratione amplitudinis, seu quantitatis.

cillitas fuerit liberorum, qui se ipsos regere nesciunt; hoc maior strictiorque in eos sit parentum potestas. Pertinent huc omnino ea, quae Grotius de diversa aetate liberorum tradit, *de Iure B. et P. L. II. c. V. n. 2.* Et quae Eichelius, *de Iure Parent. et Lib. x. II. n. 8.* uberius explicat. Distingvunt enim in liberis tria tempora: primum tempus imperfecti iudicii; secundum tempus perfecti iudicii, sed dum filius pars manet familiae parentum; tertium, postquam ex familia excessit.

XIII.

IV. *Limites
paternae
potestatis
ratione
coercitionis.*

[IIII] *Potestas patria omnino admittit coercitionem, quae pro ratione delictorum suos habet gradus amovendo paterno temperatos; nempe obiurgationem, castigationem, exhereditationem, abdicationem, et, in statu naturali, etiam ius vitae et necis. Cohaeret haec propositio cum proxime antecedente; itidemque fluit ex contemplatione finis paternae societatis. Huiusmodi gradus enim poenarum necessarii aliquando sunt ad consequendum finem saepius declaratum, ne crudi liberorum animi nimia indulgentia ad malum nutriantur, et vitiis ac sceleribus impulsus non solis parentibus, sed universae etiam societati humanae, turbas et exitium pariant. Et certe nullum est regimen, nullum imperium sine aliqua coercitione. Equidem, quod attinet ad priora quatuor poenarum genera, omnium fere consensum nobis pollicemur. Quod vero pertinet ad ius vitae et necis vereremur prope, ne dissentientium numerum et auctoritatem ferre non possimus, nisi sententiam nostram certa et evidenti ratione niti existimaremus. Praeter ceteros enim ait Pufendorfus, *de Off. H. et. C. P. II. c. III. §. 4.* Potestas patria ad ius vitae et necis neque ex occasione delicti exercendum videtur porrigi. Et Kulpifius, *in Aeg. Grot. Exercit. IV. n. 3. naturaliter inquit, ius vitae**

De iure vitae et necis in liberos.

vitae et necis, Patri, siue qua Patri, siue, ut familiae se regis capiti, ne quidem occasione delicti competere, verius mihi videtur. At enim vero, quoniam etiam in statu naturali casus dari possunt, ubi liberi prouant ad atrocissima scelera, quae absque maiori generis humani damno impunita dimitti nequeant; neque tamen tunc paterno imperio imperium superius existit, a quo huiusmodi delinquentes adulti puniantur; hinc concludimus, ius illud parenti merito asserendum, utpote cui non solum natura in tali statu omnem potestatem civilem et ecclesiasticam dedit; sed quem eadem natura etiam ratione finis societatis paternae obligavit, ut, urgente extrema necessitate, illud ius in liberos exerceat. Etenim, uti supra monuimus, necessitas finis ius facit in moralibus, docente Grotio *de I. B. et P. II, §, 24.* Neque vero hoc ius non solum fini societatis paternae, sed nec generationi et tenerrimo parentum amori, absolute repugnat. Si enim, quod manifestum est, generationis pariter ac educationis finis est, ut societas humana seruetur; adhaec, si amor parentum fundatur *φιλανθρωπία* quadam honesta, qua ipsi parentes in filiis, tanquam in parte sui, vivere, et suam suorumque felicitatem propagari, cupiunt; nescio, quidni iure naturae parentibus ius vitae et necis in liberos tribuendum sit, quos quidem illi pestes omnis societatis futuros certo vident, et per quos se non victuros, sed cum suis interituros intelligunt: haud secus, ac quis in partem corporis sui insanabilem ius habet eius resuscandae, secundum illud Poetae:

- - *immedicabile vulnus*

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Id tamen iterum monemus, nos loqui de parentibus extra rem publicam positis, qui, prudentissima moderatione adhibita, tunc demum ad hoc tritissimum

C

reme-

remedium descendere debent, ubi reliqui coercitionis gradus malo propulsando non sufficiunt; cum gravissimum crimen esse oporteat, propter quod vitam ei adimant Parentes, cui dederunt. Non itaque, vi iuris naturae, horribile est privilegium, (uti a non nemine vocatur) quod Imperator, Ludovicus, III. Norimbergensibus dedit, ut parentes filios non obedientes carere turris coercere, vivosque in profluentem demergere possint. Cuius privilegii mentionem fecit et Linnæo VVagenfeilius, grande quondam Academiae Altorfinae decus, in *Comment. de Norimb. p. 254.* Quamquam de hoc privilegio paulo alia retulit Nobiliss. Heder, in *dissertatione inaugurali de ingratitude lege notata, anno 1701. hoc loco habita, cap. III.* Ceterum, in Civitate, in quae ius illud non sine gravioribus causis a parentibus in magistratum translatum est, leviora liberorum delicta privata coercitione puniri possunt; graviora autem, quae cum Reipublicae damno sunt coniuncta, ad Magistratum pertinent.

XV.

Limites patriar-
ternae potestatis,
ratione durationis.

[V] *Tamdiu durat potestas patria; quamdiu liberi indigent auxilio Parentum, nec ad finem educationis sunt perducti.* Dara enim lege naturali, quae huiusmodi finis prosecutionem imperet, datur etiam lex, quae mediis necessariis usum praescribat atque concedat, donec finis sit obtentus. Si vero finis hic fuerit obtentus (id quod ex actionibus, quae in aliorum oculos incurrunt, existimari potest) cessat etiam patria potestas; neque filii contra voluntatem tunc ultra sunt detinendi, neque etiam citius liberandi. Cessante enim fine, cessat et actio. Fieri tamen potest, ubi necesse sit, ut illa parentum potestas denuo sese exerat. Quoniam vero, uti supra monuimus, accedente generatione, potestas parentum in libe-

liberos utique praestantior est potestate tutorum in pupillos, ita, ut non in sola educatione subsistere videatur; haud immerito hoc loco admitti potest distinctio ab Vl. Obrechtio in *Observationibus in Grotium de l. B. et P. p. 1095.* allata. Distinguit hic inter ipsum *ius paternum*, et inter *eius exercitium*. Ius ipsum ait esse aequale, et manere per omnem aetatem liberorum; sed, ratione exercitii et effectus, dari differentiam pro diversitate aetatis. Quemadmodum itaque hoc sensu ius paternum, seu ipsa *hereditas* et possessio potestatis paternae (quae per generationem parentibus acquiritur, et a natura ipsa iniungitur,) dici potest perpetua, propter indelebilem *paternitatis* characterem; ita usus et exercitium eius pro ratione finis utique determinatur; quemadmodum iam ostendimus. Contra potestas tutoria, uti a civili Maestrate certis desertur conditionibus; ita etiam ab eadem aut revocatur, aut determinatur. Sicuti autem ex fine educationis facile intelligi potest, dari terminum quendam potestatis patriae; ita idem terminus, saltem ratione exercitii, nec ipsi iuri paterno, quatenus illud ex generatione derivatur, adversari videtur. Licebit rem illustrare quadam similitudine. Fructus, quamdiu arbori adhaeret, connexa arboris pars existimatur: si ad maturitatem pervenerit, et ad usum, in quem a natura in arbore productus est, aptus fuerit, ab arbore quasi sponte dimittitur. Ita etiam filius, quamdiu quasi ad vitam sociale nondum maturuit, tanquam pars Parentum in domo paterna manet: cum vero ad maturitatem illam pervenerit, ut ipse non solum sibi prospicere, sed humanae etiam societati per se servire queat; non est, quod non quasi sponte e domo paterna dimittatur. Et fortasse Phytici huius rei quandam causam, ex naturali hominis mutatione per aetates, reddere possunt. Cor-

pora enim nostra particularum priorum effluxu et novarum successu ita perpetim mutantur, ut fluminis instar sint, alveo semper eiusdem; aquis semper aliis. Embryo, qui naturaliter Parentibus coniunctissimus est, adeoque tunc ab iis arctissime dependet, primum omnem Parentibus acceptam refert sui materiam; quae deinde in puero magis mutatur; maxime in adulto: dum nova quotidie, pereunte alia, corpori eius materia accedit. Prout itaque *physice*, ita fortasse *moraliter*, non amplius adeo arcte a parentibus tunc dependent liberi. Hoc enim esset *naturae convenienter vivere*. Sed hanc sententiam, quam modo animi causa proposui, nolo iam meam facere.

XVI.

Quid sit auctoritas paterna?

Restat AVCTORITAS PATERNA, quae quidem necessario coniuncta debet esse cum imperio paterno; attamen etiam seorsim existere et considerari potest, ita, ut et ab officio et ab imperio recte distinguatur. Ita exempli gratia, Livius *L. XV. c. 72.* ait, Evandrum Regem rexisse *auctoritate* magis, quam *imperio*. Si ergo separetur auctoritas ab imperio, omnino imperio est minor. Unde etiam, observante Cl. VVebero, in *Annot. ad Pufend. de Off. H. et C. p. 279.* vi iuris Romani, Tutoribus character *auctoritatis*; Curatoribus vero, *Consilium*, tribuitur. Est vero tunc AVCTORITAS PATERNA *Affectio Parentum, innixa existimatione iuris, prudentiae, iustitiae, meritorum et benevolentiae, fiduciam erga ipsos ac reverentiam in liberis excitans.* Auctoritas haec maxime pertinet ad explendum Parentum officium: quo enim illa maior fuerit, hoc Parentes facilius liberorum intellectum ad assentiendum, et voluntatem ad lubenter obsequendum, allicient. Perpetua autem debet esse haec Parentum aucto-

auctoritas, etiamsi liberi e familia egressi fuerint, et a paterna potestate soluti habeantur; quoniam causae primariae huius auctoritatis sunt perpetuae: nempe ius paternum (licet huius exercitium aliquando cesset) deinde merita et beneficia maxima ex officio paterno progressa, ac, ut taceam iam experientiam aliasque virtutes, tenerrimus amor et sincera benevolentia, adeo ut liberi certo persuasi esse possint et debeant, Parentes et posse, et prae reliquis semper velle, ipsis recte consulere.

XVII.

Haec sunt igitur, quae de officio, potestate et auctoritate paterna (quae tres partes uno officii aut pietatis paternae nomine aliquando designari solent) tanquam de proximis principiis pietatis liberorum praemittenda duxi: pauciora certe, quam argumenti dignitas postulat; sed plura fortasse, quam nostrae dissertationis limites Lectorisque benevoli patientia permittere videntur. Maxime tamen necessaria sunt ad institutum nostrum prosequendum. Etenim, cum pietas parentum et pietas liberorum ad se invicem referantur; iam, vi Relatorum (uti Logici loquuntur) ex tribus istis partibus pietatis paternae non solum generatim cognoscitur, dari aliquam pietatem et obligationem liberorum erga Parentes; sed illa etiam ex his ipsis propius determinatur. Est autem illa PIETAS nihil aliud, quam obligatio liberorum, qua Parentibus grati animi studium, obedientiam, et diligentem tribuant cultum. Cum autem sic statuamus, tres potissimum partes ad Pietatem liberorum erga Parentes pertinere; primo, gratitudinem; deinde, obedientiam, et denique reverentiam: singulas has partes ex principiis nostris demonstrari posse ostendemus.

Cur haec de pietate paterna sint praemissa?

Pietas liberorum erga parentes an detur?

Quid sit?

Eius sunt tres partes.

C 3

XVIII.

XVIII.

Prima pars
pietatis li-
berorum est
gratitudo.

Vnde ad
eam obli-
gatio?

Prima huius pietatis pars est GRATITVDO (lice-
bit enim doctrinae causa nobis hac voce uti.) Haec
respondet beneficiis ex officio paterno dimanantibus,
cum liberi Parentes amant; iis bene cupiunt et grata
faciunt; eorum beneficia agnoscunt, et a se aestimari
significant; eaque, occasione ferente, quantum fieri
potest, compensare nituntur. Non opus est, ut plu-
ribus deducamus, quomodo haec obligatio existat;
dummodo conferantur ea, quae supra §. III. monui-
mus. Ecquis enim Parentes non amet, tanquam id,
a quo originem traxit? Ecquis eis non bene cupiat, et
grata faciat, a quibus non tantum iam vitam et alia
eaque maxima accepit beneficia; sed quorum etiam sin-
ceri amoris per omnem aetatem certus esse potest? Ec-
quis illa beneficia non agnoscat, atque data occasione
praedicet et compenset, absque quibus si foret, non
modo non bene vivere, sed ne prorsus quidem vivere,
potuisset? Et quanquam, si vel generatim naturam bene-
ficiorum vel speciatim causas beneficiorum paterno-
rum, quae maximam partem ex officio sunt, considere-
mus, obligatio inde existens magis interna sit, & potius ex
regulis honesti atque decori, quam iuris, originem ducat,
adeoque liberi ordinario modo ad illorum beneficio-
rum compensationem iure perfecto adigi nequeant,
(nisi horum *ingratitude* fuerit *praegrans* et cum qua-
dam Parentum laesione coniuncta:) nihilominus tam-
en, quicumque filius hoc grati animi studium negli-
git, merito pro insigniter malo atque inhumano ha-
betur. Imo fieri potest, ut ea, quae primum tantum-
modo iure imperfecto debebamus, deinde, urgente ne-
cessitate, iuris perfecti naturam induant, docente *Cl.
Thomasio*, in *Iurisprud. divina* L. II. c. VI. n. 21.
eamque ipsam ob causam liberi Parentes summopere
indi-

indigentes alere teneantur. Recte enim Aristoteles, *Lib. IX. ad Nicomach. c. 2.* δόξει δ' αὖ, inquit, τρεφῆσθαι μὲν γονεῦσι δὲν μάλιστα ἐπαρκῆν ὡς ὀφείλοντας. h. e. *Filii Parentibus maxime alimenta suppeditare debere videntur, tanquam debitores.* Videatur etiam Boeclerus, in *dissertatione de actione ingrati*, p. 128. Ad limites huius **Gratitudinis** generatim cognoscendos duas maxime propositiones proferre libet: quarum prima haec est: **Gratitudo liberorum erga Parentes tanta esse debet, quantum facultas liberorum et finis generationis atque educationis permittit.** Fluit haec sententia sponte ex natura et fine beneficiorum paternorum. Certe, summa sunt, si a DEO discefferis, quae a Parentibus liberi acceperunt beneficia. Ergo summa ipsis etiam debetur gratia: quae tamen re ipsa declaranda non immerito circumscribitur a facultate liberorum; quoniam ultra id, quod quisque potest, obligatur nemo. Et Aristoteles *ad Nicomach. L. VIII. c. 16.* ait: τοῖς γονεῦσιν εἰδὲς τὴν ἀξίαν πῶς αὐτῶν ἀποδοῖν, εἰς δυνάμιν δὲ ὁ θεοεργεῖων ἐπιεικῆς εἶναι δοκεῖ. h. e. *Parentibus nemo dignam gratiam retulerit: sed qui pro viribus colit, pius habetur.* Sed neque alia debetur gratia, quam permittit finis beneficiorum paternorum. Quae probatio a fine petita optima censetur a Grotio, *de I. B. et P. L. II. c. VII. §. 2.* Nunc autem, cum liberi non solis Parentibus, sed potissimum DEO et societati humanae sint generati; hinc ista gratitudo nunquam eo usque est extendenda, ut iura DEI et societatis humanae laedantur. Extra hunc casum vero ea grati animi officia Parentibus ex regulis iuris necessario pro facultate liberorum debentur, sine quibus vita et bona fama illorum honeste servari nequit. Ex regulis honestatis autem et decori, ea quoque Parentibus debentur, quae non tam ad necessitatem, quam quae

Limites
Gratitudinis:
1. ratione
intensionis.



quae quomodocunque ad utilitatem, decus et oblectationem honestam Parentum, pertinent: haud secus, ac Parentes optimi quique non ea solum liberis officia et beneficia exhibent, ad quae stricto iure obligati sunt; sed ex singulari etiam affectu, pro virili parte, non adeo debita liberis praestant, ut illi vitam bene commodeque transigere possint. *Quanto latius enim, inquit Seneca, Lib. L. II. de ira c. 27. officiorum patet, quam iuris regula? Quam multa Pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides, exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt?* Altera propositio, qua terminus huius gratitudinis indicatur, haec est: *Grati animi studium erga Parentes in liberis perpetuum esse debet*, ita, ut liberi nec post fata quidem Parentum suae pietatis significationes dare praetermittant. Quae sententia non copiosa probatione indiget, cum eius veritas vel exinde satis pateat, quod liberi, etsi non ipsa Parentum beneficia (unde oritur obligatio) horum tamen beneficiorum fructum perpetuo percipiunt. Igitur animo quidem sempiternam custodire gratiam; re vero ipsa, quotiescunque opus fuerit et ipsi valuerint, eam referre tenentur.

XIX.

Progredimur ad SVBIECTIONEM Liberos, quae respondet potestati paternae, et generatim est vinculum quoddam libertatis, seu *obligatio illa, qua liberi parentum imperio sunt obnoxii*. Liberos autem, etiam invitos, et in statu quoque naturali, paterno imperio subiici et parere debere, vel ex natura potestatis paternae, quam supra §. 5. et seq. Parentibus vindicavimus, satis apparet. Omni enim imperio respondet obligatio subiectionis: et sine hac frustra statuitur aliqua potestas ac imperium. Origo igitur

2. ratione
extensivis.

Alter pars
pietatis li-
berorum est
subiectio.

Vnde?

tur huius subiectionis eadem est, quae origo patriae potestatis. Officium autem liberorum, quod ex hac subiectione dimanat, dici solet OBEDIENTIA, cuius vi liberi obligati sunt, ut actiones suas ad iussa Parentum promte componant. Ab hac obedientia Celeberr. Thomafius, in fundamentis I. N. et G. p. 190, distinguit obsequium, hocque appellat spontaneam acquiescentiam in voluntate alterius, ortam ex fiducia erga illum. Quo sensu quemadmodum obsequium utique rectius ad reverentiam paulo post describendam referemus; ita negare non possumus, alioquin haud raro fieri solere, ut ista duo promiscue ponantur. Postquam autem antea certos potestatis paternae limites constituimus; hinc nunc facili opera ex illis ipsis limitibus, tanquam ex principiis proximis, fines obedientiae liberorum describemus, omnemque rem iterum non nullis propositionibus complectemur, brevitatis causa benevolam Lectorem subinde ad superiora remissuri.

XX.

[I] *Generatim Patri iuxta ac matri obedientiam debent liberi.* Hoc praeceptum inde comprobatur, quoniam utrisque, uti supra §. X. p. II. ostendimus, ordinario modo potestas in liberos competit. Quod si autem concurrunt Patris Matrisque iussa, ubi utrique divisam habent educandi curam; tunc liberi, si nondum ipsi res diiudicare valeant, nihilominus Patri potius, tanquam Rectori familiae, quam Matri, debent obedire. Vbi vero illi iam pollent iudicio, in rebus quidem mediis etiam imperium Patris praeferant; in ceteris autem illud mandatum, sive Patris, sive Matris fuerit, exequantur, quod magis vel honestum vel utile, vel decorum videatur. Quemadmodum ceteroquin potestatis paternae

Limites obedientiae:
1. ratione obiecti personalis.

D

nae

nae exercitium pro diverso statu diversisque conditionibus in alterutro Parente vel suspendi, vel intendi, vel terminari potest: ita pro hac paternae potestatis diversa ratione, aliquando soli Patri, aliquando soli Matri, aliquando alterutri certo saltem tempore certisque negotiis, ista obedientia debetur. Qua de re ea repetantur, quae supra, loco iam allegato, p. 11, commemoravi.

X XI.

2. ratione
obiecti rea-
lis.

[II] *Subiectio liberorum non tam ad personam et bona, quam ad actiones eorum est extendenda; nisi illud requirat necessitas.* Haec propositio non potest non proxime ex illa consequi, quae §. X, XI, XII comprobata est. Itaque liberi non tenentur permittere, ut pro libidine Parentum vendantur, oppignorentur, in facram servitutem detrudantur: nisi vel necessitas ex fine societatis paternae determinanda id requirat, vel quaedam obsequii exuperantia hic locum inveniat. Multo minus obligati sunt, ut libidini Parentum vitam exponant suam; quoniam aequae, ac hi, sunt homines, neque Parentibus solis, sed societati quoque humanae nati. Eodem modo liberi, etiam dum nondum ex paterna domo excesserunt, vi istius subiectionis non necessario obligantur, ut fortunarum vel hereditatis beneficio vel aliunde acquiratarum dominio iuventibus cedant Parentibus; nisi constet, se alioqui nutriri non posse. Quid vero grati animi reverentiaeque leges hac in causa postulent, ad alium locum spectat. At quod attinet ad *actiones*; omnino liberi Parentibus multo excellentissimam debent obedientiam; uti ex natura potestatis paternae §. X. p. 12 descriptae intelligitur. Cum enim absque gubernatione actionum suarum liberi imbecilles atque rudes ad nullam felicitatem per-



pervenire possint; satis apparet, praecepto iuris naturae illos in his Parentum regimini obtemperare debere.

X XII.

[III] *Tanta necessario debet esse obedientia liberorum Parentibus debita; quanta pertinet ad obtinendum finem generationis et educationis.* vatione am-
pitudinis et
extensionis. Huius propositionis sensus atque veritas non modo ex iis, quae in proximis antecedentibus diximus; sed in primis etiam ex §. XIII potest intelligi; adeoque minus necesse est, ut eadem hoc loco repetamus. Obligati itaque sunt liberi, ut iussu et auctoritate Parentum ea omnia prompto animo admittantque, quae pertinent tum ad corporis, cum maxime ad animi culturam: speciatim vero, quae momentum quoddam afferunt ad domus paternae felicitatem, ita, ut hinc demum publice privatimque prodesse beneque rem agere possint. Rectissime autem tunc simul attenduntur discrimina iudicii aetatisque liberorum a Grotio et aliis indicata. Si proinde liberi nondum usu rationis pollent, ut ipsi honestatem utilitatemque a turpitudine aut damno discernere queant: utique omnes actiones ad voluntatem parentum componere tenentur; utpote quorum gubernationi propter imbecillitatem suam plane sunt subiecti. Sin autem diiudicandi facultas in illis creverit; neque minus tamen ipsi adhuc paterna cura beneficiisque in familia fruuntur: tunc neutiquam obedientia eorum ad ea progrediatur, quae norunt 1. pugnare cum voluntate et honore DEI. DEO enim magis, quam hominibus, est obediendum. 2. cum dignitate et utilitate publica, ac legibus civilibus. Patria enim et Respublica omnium amorem omniaque officia complectitur; voluntasque parentum non potest intercedere voluntati factoque Principis, ut Principis. 3. cum salute propria: quoniam

D 2

Φιλαν.



φιλανθία exercenda est statui cuius convenienter, sine
 laesione quidem religionis et socialitatis. 4. cum in-
 cremento familiae; quia liberi huius potius praesidium
 esse debent. 5. generatim cum legibus iustitiae et ho-
 nesti: quoniam ad turpia et iniusta nulla datur obliga-
 tio. Ad haec omnia igitur non pertingit obedientia li-
 berorum; quoniam ad eadem nec pertingit potestas pa-
 tria; et quia haec ipsa, si imperarentur a parentibus,
 fini generationis et educationis non modo non conve-
 nirent, sed etiam adversarentur: igitur non tanquam
 mandata parentum deberent haberi. Neque tamen te-
 nentur liberi solum honesta ideo agere; quoniam no-
 runt, ea per se honesta esse: aut turpia atque indecora
 fugere; quoniam in se sunt turpia et indecora: sed etiam,
 quoniam vel praecipuntur, vel vetantur, a parentibus;
 adeo, ut existimem, Filium iudicio pollentem, qui ini-
 iusta agit, duplici ratione peccare: primum quia gene-
 ratim peccat contra leges iustitiae; deinde quoniam
 obedientiam parentibus debitam temere abiicit. Atque
 hanc ipsam ob causam parum valet istud Philosopho-
 rum sophisma, quo illi, auctore Gellio, in *Noct. Att.*
L. II. c. VII, probare voluerunt, nihil necessum esse
 patri obsequi et parere. *Aut recte*, inquebant, *imperat*
Pater, aut perperam. Si recte imperat; non, quia impe-
rat, parendum; sed, quoniam id fieri ius est, faciendum
est. Sin perperam; nequaquam scilicet faciendum, quod
fieri non oportet. Deinde ita concludebant: nunquam est
igitur patri parendum, quae imperat. Quis enim non
 intelligit, in hac argumentatione minus recte proce-
 dere *subsumtionem prioris membri*? Ut taceam, quod
 ipse Gellius animadvertit, conclusionem istam imper-
 fectam esse: neque enim solum honesta aut turpia esse
 possunt, quae parens imperat; sed etiam *ad id quod*,
 five

five media. Liberos autem in domo paterna ex parentum beneficiis viventes, quamvis alioquin propter iudicii usum quaedam paulo liberior agendi facultas ipsis tribuenda sit, naturali tamen obligatione devinctos esse ad obedientiam praestandam, non solum in rebus per se honestis, sed etiam mediis, partim generatim ex natura potestatis paternae cognoscitur; partim exinde patet, quoniam, qui beneficium mihi praestat, monente Thomasio, in *Iurisprudencia divina*, L. III, c. 4. n. 56, exigere a me potest iure suo, ut, durante beneficio, actiones meas ad ipsius placitum, sub poena beneficii amittendi, componam. Ceterum in dubio, ubi non liquet liberis, utrum res a parentibus iniuncta sit honesta, an turpis? utilis, an noxia? tutius illi simplici animo sequuntur iussa parentum; quia 1. parentes praesumuntur ratione officii sui non nisi bene velle suis. 2. quia maior experientia et prudentia ipsis est tribuenda. 3. quoniam natura ipsa hos liberis tanquam duces rectoresque praefecit. Itaque, qui recusant iussa exequi, etiam dum dubitant, quantum in ipsis est, contra ius naturae, quod obedientiam filiorum flagitat, egisse recte dicuntur.

XXIII.

[IV] *Liberi coercionem paternam aequo ferant & ratione animo, moresque hinc emendent, aut eam rectis factis plane devitent.* poenarum. Fundamentum huius obligationis proxime ex iure paterno §. XIII explicato, et ex educatione sobolis ad vitam socialem elicitur. Nolle enim debent liberi, se subiectos esse Parentibus, qui pro potestate sua non modo quaevis mala vetare, sed etiam coercere et punire possunt; quanquam haec puniendi facultas in republica certis legibus circumscribi solet. Hinc etiam meminerint, se ad observanda Parentum

iussa, iisque neglectis, ad solitas eorum poenas sustinendas esse devinctos; quippe sine quibus, cumprimis in statu naturali, ubi non alii ius puniendi habent, saepius illa educatio ad vitam socialem obtineri nequeat. Iam autem, cum ea lubentes agere teneamur, ad quae sumus obligati: nec liberi meritam coercionem in viso refractarioque animo sustineant; sed potius imposterum rectius sapere discant; quo ipso fini huius potestatis paternae satisficiant. Omnium maxime autem pulcherrimam pietatis laudem promerentur, si operam dent, ne unquam suo merito offensam et poenas parentum incurrant. Nescio enim, an ulla maior, quam illa Pomponii Attici gloria, esse potuerit: *ipsum nunquam cum matre in gratiam rediisse? Cornel. Nep. in vita Attici, c. 17.*

X XIV.

§. ratione temporis.

[V] *Tamdiu durat subiectio et obedientia liberorum Parentibus debita; quamdiu exserit se potestas paterna.* Nexum huius propositionis, credo, nemo non intelligit. Quid enim esset imperium sine subiectione et obedientia? Quoad autem continuetur illa parentum potestas, supra §. XV definivimus. Quemadmodum itaque haec potestas sui exercitii terminum admittit, et naturaliter tunc cessat, cum finis societatis paternae est obtentus, liberique iam capaces evaserunt, ut sibi ipsi prospiciant, et actiones suas ac res prudenter moderentur; ita, vi *relatorum*, tunc etiam cessat obedientia liberorum stricte sic dicta. Quamvis proinde tunc iure amplius detinendi et ad hanc subiectionem adigendi liberi non sint; ceteris tamen paribus, contra grati animi reverentiaeque leges agerent, si, invitis Parentibus, vinculum huius obligationis solverent: nisi duritiam et morositatem evidentem Parentum viderent. Sol-

Solvuntur autem plerumque liberi ab hac subiectione, per *emancipationem*; quando e potestate paterna dimituntur, ita, ut vel sui iuris fiant, vel, paterno iure in alios translato, alienae potestati subiiciantur. Neque enim emancipationem hoc loco in vulgari strictaque significatione accipio, prout ea ritus quosdam civiles includit, quos omnino ignorat ius naturae: sed emancipatos latiori notione eos dico liberos, qui vel inito matrimonio ipsi novam constituunt familiam; vel qui iam maturi ac sibi ipsis prospicere valentes e domo paterna sponde dimittuntur; vel, qui per adoptionem, aut etiam ex necessitate per venditionem, potestati subiiciuntur aliorum. Sic Cicero *L. II. de finibus*, c. 7. dixit: *filium in adoptionem alicui emancipare*. Quemadmodum enim prorsus in hoc assentior Pufendorfio, *de Off. H. et C. L. II. c. II. §. 9.* non id repugnare iuri naturali, suam prolem bono viro adoptandam concedere, siquidem exinde aliquod emolumentum in eandem est redundaturum; ita eidem nec do invitus, si nulla alia ratio sit prolis alendae, potius quam inopia exstinguatur, patrem eam oppignorare, aut vendere in tolerabilem servitatem posse, saltem sub lege retractationis, ubi pater ad meliorem pervenerit fortunam; aut quispiam ex cognatis istam velit redimere. Imo, asserere nihil dubito, in eiusmodi necessitatis casu, ubi nemo adsit, qui istam redimendi conditionem inire velit, licere potius sine lege retractationis vendere filium, quam miserabiliter eum perire pati. Id quod, cum iam supra *n. XI* moneri oportuisset, hoc loco tamen non plane reticendum existimaui.

XXV. Re-

XXV.

Tertia pars pietatis liberorum est reverentia.

Reliquum est, ut nunc etiam de REVERENTIA, tertia illa parte pietatis liberorum erga Parentes, quaedam exponam. Est autem haec nihil aliud, quam *cultus, existimatione, honore externo, aequanimitate et obsequio consistens*. Respondet haec liberorum *reverentia auctoritati* parentum, de qua *n. XVI* non nihil dixi. Equidem, uti imperium parentum nunquam sine auctoritate; ita obedientia liberorum paulo ante descripta nunquam sine reverentia, esse debet. Nihilominus tamen, uti sola auctoritas parentum, cessante imperii usu, remanere solet; ita licet etiam reverentiam hanc sine subiectione et obedientia concipere. Differunt itaque *obedientia* stricte sic dicta et *reverentia* varias ob causas; et primo quidem ratione ortus. Obedientia enim oritur potissimum ex potestate Parentum in liberos; uti *n. XXVIII* demonstravi: reverentia vero ex eadem quidem potestate, sed aliquando etiam ex sola Parentum auctoritate, originem trahit; prout paulo post ostendam. Deinde differunt ratione obligationis. Obedientia, quae respondet imperio paterno, est per se necessaria, et in rebus necessariis iure perfecto potest exigi: contra, uti auctoritas parentum, si a potestate paterna distinguatur, non tantum obligationis externae vinculum, quantum ipsa quidem potestas, liberis iniicere solet; ita hi ipsi liberi magis ex honestatis et decori, quam iuris regulis, ad istum cultum et reverentiam Parentibus praestandam obstringuntur; dummodo ne ea, quae plane huic cultui sunt contraria, scientes prudentesque agant. Ut breviter rem complectar: obedientia magis externam; reverentia autem magis internam affert obligationem, qua quidem interna obligatione, non, sicuti illic, aliis ob-

liga-

Haec distinguitur ab obedientia; 1) ratione ortus.

2) ratione obligationis.

ligamur hominibus; nec, si ei minus satisfecerimus, aliorum hominum coactionem aut poenam metuamus, necesse est: sed potius, quod maius est, obligamur nobismet ipsis, et, uti loquitur Thomafius, metuere debemus *periculum naturale ex ordinatione potentiae primae et aeternae necessario operantis*. Postea differunt ratione externi effectus moralis. Nam, cum debitum observantiae et reverentiae non sit ex vi facultatis moralis, h. e. potestatis et iuris proprie sic dicti; hinc illud, iudice Grotio, *de I. B. et P. L. II. c. V. §. 3. et 10.* non facit irritum, si quid contra sit factum: seu, solum reverentiae officium non efficit, ut nullus irritusque sit actus, qui ei repugnat. Ex adverso, si liberi a potestate paterna nondum liberati, nec adhuc ex iure liberandi, contra obedientiam agant, illud ipsum recte potest reddi irritum. Adhaec differunt ratione diversae proprietatis cuiusdam. Obedientia magis cum metu; reverentia magis cum verecundia et fiducia erga parentes est coniuncta. Denique differunt ratione perennitatis. Obedientia enim cessat, cessante imperii paterni exercitio; uti *n. XXIII.* monui: reverentia autem nunquam plane cessare debet; uti paulo post ostendam. Sed nec illud discrimen plane praetereundum est, quod inter reverentiam et grati animi studium intercedit. Gratus enim animus cum primis respicit beneficia parentum; reverentia autem, eorumdem dignitatem. Gratus animus benefacere cupit parentibus, ut quodammodo exsolvat debita; reverentia benefacit, ut animi demissionem testetur, nec renuit amplius obligari. Grati animi beneficia tunc praecipue grata sunt parentibus, cum hi illis indigent: reverentiae cultus nunquam non parentibus potest esse gratissimus; et extra casum necessitatis

3. ratione
effectus
externi.

4. ratione
adiuncti.

5. ratione
temporis.

Reverentia
etiam di-
stinguitur a
grato
animo.

fitatis adhuc gratior videtur, quam ipsum beneficium a liberis exhibitum; aut certe hic cultus reverentiae loco gratianimi beneficiique semper accipi solet.

XXVI.

Reverentiae natura.

Eius partes sunt:

a. Existimatio.

Vt vero natura huius reverentiae distinctius intelligatur; illa sunt hoc loco repetenda, quae supra de auctoritate paterna proposui. Eos enim maxime revereri dicimur, qui pollent auctoritate. Quae auctoritas cum merito vindicetur parentibus; merito etiam his a liberis debetur reverentia. Ad hanc autem reverentiam primum referimus existimationem; qua reverenter honorificeque de parentibus nostris sentimus, eosque magni aestimamus. Est haec existimatio primum fundamentum totius huius reverentiae. Quomodo enim aliquem revereamur, quem non vel potestate et iure, vel virtute et meritis, nobis existimemus digniorem? Nunc autem est omnino, quod plurimi faciamus parentes; quoniam hi propter generationem et educationem veluti characterem DEI, summi rerum creatoris et conservatoris, in his terris gerunt: unde εμφανείς Θεοῦ μιμήμενοι τὸν ἀγέννητον ἐν τῷ ζωοπλασῆν recte dicuntur apud Philonem, ad Decalogum. Est praeterea, quod eos tanquam superiores magni aestimemus, propter ius illud, quod generatione pariter ac educatione sibi in nos acquisiverunt; et propter naturae ordinem, ac rerum experientiam, quam longiore aetate sibi pararunt; nec minus propter summa in nos merita, incredibilemque benevolentiam. Recte enim Aristoteles, L. I. Rhetor. c. 5. scripsit: τιμὴ δὲ, ἐστὶ μὲν σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης. Τιμωμένη δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλα οἱ εὐεργετικότες, ἢ μὴ ἀλλὰ ἡμᾶται καὶ ὁ δουράμενος εὐεργετῶν. i. e. Honor est signum beneficae opinionis. Honore autem iuste quidem digni existimantur maxime illi, qui bene se-



ne fecerunt. *Honoratur tamen etiam, qui potest benefacere.* Sed haec interna aestimatio honorificaque opinio exferat se etiam necesse est *externo honore*; quae est altera pars istius reverentiae, et requirit, ut, pro eo ac decet, tum Parentibus ipsis, cum aliis etiam hominibus, externis signis, h. e. verbis honorificis, gestu operaque testemur, quanti faciamus vitae nostrae auctores. Sunt tamen generatim illa externa reverentiae signa, pro loci, temporis, personarumque conditione, decori regulis attemperanda. Praeterea, ad eandem reverentiam revocavi etiam *aequanimitatem*, b. Honor. qua parentibus morosis quoque et aliquando parum grata iuventibus cedere, eosque aequo animo ferre iubemur. Hanc aequanimitatem et patientiam ipse etiam Siracides ad reverentiam Parentibus exhibendam retulit, *c. III. v. 9: in opere, inquit, et sermone, et omni patientia reverere Patrem tuum.* Quod pietatis officium homines quoque pagani satis agnoverunt. Hinc Terentianus ille Pamphilus: *Matris, inquit, ferre iniurias me, Parmeno, pietas iubet. Hecyr. Act. III. Sc. I.* Et Cicero pro Cluentio: *Non modo, ait, reticere homines Parentum iniurias; sed etiam aequo animo ferre oportet.* Dignissima vero est, quae commemoretur, Senecae sententia, *L. III. de Benef. c. 38. Nulla, inquit, vi verborum, nulla ingenii facultate, exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, quamque nunquam a memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: parentibus meis parui, cessi; imperio eorum, sive aequum, sive iniustum fuit, obsequentem submissumque me praebui. Ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.* Hanc vero aequanimitatem eo promptiori animo parentibus approbemus; quo magis noverimus, eos per naturam nobis esse superiores, et nostra causa multa tulisse in-

commoda, nec nobis nisi bene velle, adeoque iure admodum filiis succensere, si quando iniuriam ab iis sibi fieri arbitrentur. *Quem itaque ferres, si Patrem non ferres tuum?* Cum hac aequanimitate denique coniungendum est *obsequium*, distinctum ab obedientia, quatenus liberi, etiam paterna potestate exempti, etiam in rebus mediis, sive iussi, sive iniussi, ea omnia pro viribus agunt, quae Parentibus grata iucundaque fore arbitrantur, et sine consilio atque auctoritate ipsorum nihil magni momenti suscipiunt, nec vultu quidem eos laedunt, *ut Cicero ait pro Sext. Amerino*, ac, si quando iniqua et iniusta iubeantur, ea iussa non nisi modeste et citra offensionem declinant. Quam in rem egregia extant verba A. Gellii, *Noct. Attic. L. II. c. 7.* *Ea*, inquit ille, *quae obsequi non oportet, leniter tamen et verecunde ac sine detestatione nimia, sineque opprobriatione acerbae reprehensionis declinanda sensim et relinquenda magis esse dicunt, quam respuenda.* Cuius modestae declinationis praeclarum exemplum, teste Plutarcho, *L. de vitioso pudore. p. 535,* dedit Agefilaus, qui in quodam iudicio iussus a Patre sententiam legibus alienam ferre: a te, dixit, mi Pater, iam inde ab initio edoctus sum legibus parere; itaque etiam nunc tibi obtemperabo, nihil in leges peccando. Huiusmodi autem obsequii ac modestiae testimonium ex interna cum primis obligatione liberi debent parentibus, itidem propter horum ius paternum, maioremque experientiam et insignia in se merita, amoremque sincerum; uti ex superioribus intelligere licet.

X XVII.

Limites Reverentiae.

Quod nunc ad limites huius reverentiae attinet, generatim loquendo *in statu naturali, nec ratione temporis, nec, si a solo DEO discesseris, ratione magnitudinis*

*dinis et intensionis ulli certi huius reverentiae fines limi-
 tesque designari posse videntur*, nisi quantum auctoritas
 paterna, cui respondet reverentia liberorum, certos
 admittere gradus videatur. *Perpetua sane debet esse haec* ^{r. ratione}
reverentia, in quocunque statu et erga qualescunque ^{temporis.}
 Parentes. Et cum reverentiam una cum obedientia
 liberi praestare debeant parentibus, quoad paternae
 potestati sunt subiecti; hinc, licet potestas illa fuerit ter-
 minata; reverentia tamen nunquam tollitur; propterea,
 quod causae eius primariae paulo ante expositae
 sunt perpetuae: in primis autem, quod, quamvis ces-
 sante aliquando iuris paterni exercitio, nunquam de-
 leri potest character ille naturae paternae, quo paren-
 tes, vel ex Hieroclis sententia, *θεοὶ ἐπίγειοι* sunt ha-
 bendi. Taceo, liberos hanc reverentiam Parentibus
 etiam debere ex grati animi lege, pro beneficiis ac-
 ceptis, quorum fructus sunt perpetui, et quae alioquin
 aegre possunt compensari. Nec plane improbo hac
 in re Hobbesii sententiam, *de Cive*, c. IX, §. 8, qui
 perpetuum illud reverentiae debitum non ex sola de
 grato animo lege derivandum arbitratur; sed etiam ex
 pacto quodam tacito: quod nempe non praesumatur,
 qui alterum ex sua potestate dimittit, eum ita sibi vo-
 luisset aequare, ut ne beneficii quidem reus esset: sed
 semper esse intelligendum, eum, qui subiectione li-
 beratur, promittere saltem externa signa, quibus superio-
 res ab inferioribus solent honorari. Ita etiam, ratione ^{2. ratione}
 intensionis, uti Philosophi loquuntur, in statu naturali, ^{quantitatis.}
*post DEVM, omnium maximam sanctissimamque liberi Pa-
 rentibus debent reverentiam*; non solum propter eas-
 dem, quas dixi, causas; sed etiam, quoniam tunc
 superior, quem reverentur, in terris non existit.
 Quo pertinent illa prudentissimorum Virorum monita;

v. g. Plutarchi, in *L. de amore fraterno*, p. 479. Πά-
 ρτες, εἰ Φρονέσι, λέγουσι καὶ ἄδουσιν, ὡς γονεῦσι τιμὴν μετὰ θεῶν
 πρώτην καὶ μεγίστην, φύσις, ἢτε φύσιν σώζων νόμος ἀπέδωκε. *h.*
e. omnes, qui sapiunt, hoc dicunt atque canunt, natu-
ram et legem naturae, post DEOS, primum ac praeci-
puum honorem Parentibus destinasse. Neque minus huc
 spectat Menandri sententia a Stobaeo servata: νόμος,
 dixit, γονεῶν ἰσοθέος τιμὰς νέμει, i. e. *Lex iubet Paren-*
tibus honores divinis aequales praestare. In statu civili
 autem, ubi magna potestatis paternae pars in summum
 magistratum, qui universam rempublicam repraesentat,
 translata est, vix est dubium, quin maior reve-
 rentia, aut certe externa honoris signa, toti civitati
 eiusque capiti, exhibeantur. Imo, in civitatibus fieri po-
 test, ut Pater filio publica auctoritate et dignitate con-
 spicuo ipse debeat testari reverentiam, manente tam-
 en Patris privata praerogativa. Referenda adeo huc
 est sententia Tauri, Philosophi, ab A. Gellio, *Noct.*
Attic. L. II. c. 2, relata: *in publicis locis atque muneri-*
bus et actionibus Patrum iura cum filiorum, qui in ma-
gistratu sunt, potestatibus collata, interquiescere paulum et
connivere: sed cum extra rempublicam in domestica re
atque vita sedeatur, ambuletur, tunc inter filium ma-
gistratum et Patrem privatum publicos honores cessare,
naturales et genuinos exoriri. Eodem loco Gellius etiam
 exemplum Fabii Cunctatoris attulit, qui collaudavit
 factum filii, Consulis; quod ipsum sibi obvium equo
 descendere iussisset, et imperium populi retinuisset.
 Quamquam autem in quocunque statu omnibus Paren-
 tibus a filiis tanta pietas ac reverentia debetur, ut eius
 limites designare omnium sit difficilimum; nihilomi-
 nus tamen negari non potest, aliquando ex aliis pecu-
 liaribus causis reverentiam istam certos posse admit-
 tere

tere gradus. Quis enim inficias eat, Parenti non solum vulgaribus, sed exquisitissimis etiam beneficiis de filiis bene merito, imo summa prudentia, eruditione, summisque honoribus praedito, saltem externa quaedam signa maioris reverentiae deberi, quam alii, cui praeter generationis beneficium nihil forte acceptum referre possunt filii? Nihilominus tanto semper laudabilior Deoque et hominibus gratior est pietas liberorum erga parentes; quanto ea maior, quanto promtior, quanto sincerior est; etiamsi hi respectu aliorum liberorum fortasse non aequae magna beneficia, aut aequae magnam auctoritatem Parentum, respicere posse videantur.

XXVIII.

Haec sunt generalia praecepta atque principia, quae naturam pietatis liberorum erga parentes designant; hique videntur in univrsum esse illi limites, quibus, quantum ex iure naturae fieri potest, sua liberi officia quasi metiri, certoque decernere possunt, quae suae Parentumque conditioni conveniant, nec ne? Quae uti generatim per se plana atque evidenti sunt; ita, propter concursum et varietatem *circumstantiarum*, nihilominus fieri solet, ut, si ad speciales quosdam casus pervenerimus, generalium huiusmodi limitum principiorumque accommodatio paulo difficilior videatur. Equidem constitueram ab initio, plurimos casus, qui hoc in argumento fingi afferrique possint, figillatim pertractare, atque, ex utraque parte allatis in medium rationibus, eos diiudicare; verum, cum labor hicce praeter opinionem quasi sub manu creverit, cumque verear, ne, si destinata exequi perrexero, fines disputationis Academicæ transgrediar; hinc in praesenti paucas dumtaxat attingam casus, nec nisi digitum ad fontes intendam.

Restant casus speciales pietatis liberorum.

In his decidendis respectu offi-



ciorum simplicium tria generatim sunt notanda.

dam. Quemadmodum autem omnia quae huc spectant exempla, vel ad officia simplicia, vel ad officia comparata pietatis liberorum, satis commode revocari possunt; ita nunc primo loco de simplicibus officiis non nihil monebo, hoc est, de iis officiis, quae potissimum liberi debent parentibus sine concursu et comparatione aliorum. Ad cuiusmodi specialia officia luculentius declaranda, tria haec maxime notanda esse puto. Primo speciales hos casus deduci posse per modum conclusivum ex generalibus praeceptis de pietate liberorum erga parentes, adeoque semper ad animum revocandam esse hanc generalem sententiam: *Liberi pii sunt in Parentes* h. e. liberi (a) grati sint erga parentes; (b) iis obediunt, (c) eosdem reverentur. Verum et grati animi, et obedientiae, et reverentiae, termini ex superioribus sunt cognoscendi. Deinde distinguendum est inter gradus obligationis. Alia enim officia fluunt ex regulis iuris, et sunt necessaria ad rectam sobolis educationem, adeoque iure exigí possunt. Alia fluunt ex regulis honestatis, et determinantur ex natura virtutis. Alia fluunt ex regulis decori, et nascuntur maximam partem ex consuetudine laudabili. Ad ius pertinet obedientiam liberorum in rebus ad rectam educationem necessariis. Ad honestatem et virtutem spectat grati animi studium. Et denique partim ad laudabilem consuetudinem, partim ad honestatem, reducenda est reverentia. Sicuti igitur ius maxime ea requirit, sine quibus finis debitus obtineri nequit, et sine quibus tandem genus humanum interiret, adeo, ut, qui contra ius agit, simul contra honestum et decorum egisse recte dicatur; ita honestatis et decori praecepta postulant ea, quae ad stricte sic dictam *pietatem* pertinent, ut, si opus fuerit, etiam remittamus de iure nostro, et praestemus talia, ad

ad quae iure cogi non possumus, et condonemus, ad quae alios iure cogere poteramus; nec minus ut observemus ista, quae laudabili consuetudine in ea societate, in qua vivimus, sunt recepta. Ex quibus ipsis sua natura consequitur, quod tertio loco in casibus specialibus decidendis observandum duco: nempe, ubi consideratis omnibus, quos indicavi, argumentorum fontibus, animus nihilominus ambiguus haereat, afferatque ancipitem curam cogitandi, neque vero omnis actio suspendi possit; tunc censeo, tutiora potius eligenda esse, ac pietati erga parentes paululum magis indulgendum, dummodo ne iura DEI et universae societatis violentur.

III.

XXVIII.

Cum itaque supra ostenderit, inter partes pietatis liberorum numerari debere *gratum animum*; licebit hoc loco quaerere, utrum liberi aliquando hoc grati animi officium non animo solum, sed et re ipsa explere valeant? Tralatitium enim est, liberos Parentum meritis paria facere non posse. Antequam sententiam nostram exponamus, paucis monere visum est, nos non loqui de eo, quod quotidie fieri solet; ubi profecto omnia sunt plena ingratorum: sed de eo, quod per vim virtutis et favorem fortunae fieri possit. Atque tunc non dubitamus calculum nostrum adlicere Senecae *L. III de Benef. cap. 28. et seqq.* hanc sententiam affirmanti. Ut vero eandem breviter comprobemus; necesse est, ut inter se contendatur illa bona, quae tribuunt Parentes; et quae retribuere aliquando possunt liberi. Parentibus ordinario modo duo debemus: vitam, et educationem. Quod ad vitam attinet; ea hoc loco non tam in se et sua natura est consideranda, ubi est bonum inaeestimabile, quod

Utrum liberi Parentum beneficia valeant compensare?

F nec

nec a Parentibus effici potest, et a solo DEO per naturam operante originem habet: (quo respectu nec Parentibus adscribenda est; alioquin enim honorem et gratiam, quam DEO debemus, vindicaremus parentibus:) sed vita potius hic consideranda est, quatenus ex opera generationis provenit, et Parentibus tanquam causae secundae accepta refertur. Quae si observentur, non sequitur, quia vita est maximum bonum, ut etiam actus parentis, quo vita filio communicatur, nullo modo aestimari compensarique queat. Atque tunc certo sensu admitti possunt ista Senecae verba: *Colligo, minimum esse beneficium, Patris matrisque concubitum, nisi accesserint alia, quae prosequerentur hoc initium muneris, et aliis officiis ratum facerent.* Item huc spectant, quae apud Platonem in *Theage* Demodocus dicit: *Ε μὲν ἢ Ἐνέσ τετρεῖς εἴτε Φυτεῖαν, εἴτε παιδοποιεῖαν δὲ ἀνομαζεν, πάντων ῥάσῃ γέγονεν ἢ δὲ τροφὴ δύσκολός τε καὶ αἰεὶ ἐν φόβῳ, ὡς αἰεὶ δεδιότι.* h. e. *Haec mihi mei filii, siue plantatio, siue generatio appellanda sit, omnium facilissima exitiit: educatio autem difficilis, et plena timoris semper fuit.* Alterum, quod Parentibus debemus, est recta educatio, quae et nutritione et institutione honesta continetur. Summum profecto est beneficium, quod verbis exprimere nequeas. Facit enim, ut bene sentire, recteque facere discamus; quod ad bene beateque vivendum pertinet. Interim illud ipsum beneficium in foro humano compensari posse, vel exinde coniecere licet; quoniam aliquando homines magis sola mercedis spe, quam quadam honestatis ratione, adducti, alienos liberos satis probe, et fortasse aliquando rectius quam ipsi Parentes, nutriunt atque instituunt, tantamque recipere possunt mercedem, ut iure nihil amplius exigere queant. Sed videbimus autem nunc etiam ea, quae

quae a liberis in Parentes possunt proficisci; quae satis
 diligenter collegit Seneca, loco allegato. Primum fi-
 lius Patri vitam, etiam si non dare, tamen conservare
 potest, ita quidem, ut non per voluptatem operamque
 leviolem id faciat, sed etiam cum periculo, et tanto
 cum labore, tantaque cum molestia, ut vix molestiae
 dolorique gravidae aut parturientis matris cedat. Iam
 autem istiusmodi vitae conservatio non minus benefi-
 cium videtur, quam ipsa vitae datio atque largitio; quo-
 niam, ut Cicero ait, *salutis certa laetitia est; nascendi in-
 certa conditio: et sine sensu nascimur; cum voluptate con-
 servamur.* Deinde fieri etiam potest, ut filius per plures
 annos largiter alat parentem, a quo forte casu ablatum
 et vix per menses aliquot nutritus fuit. Postea filius po-
 test Parentes alioquin obscuros virtute sua meritisque
 illustres et immortales reddere: imo, si ipse ad summam
 dignitatem fortunamque pervenerit, potest eos ad Ma-
 gistratus evehere, iis amplas largiri opes, et genus no-
 bilitate augere. Adhaec, *si hoc parum est*, inquit Se-
 neca, *finge aliquem tormenta Patris discussisse; finge in
 se transtulisse.* Id quod certe molestiae Patris propter
 filium exanrlatae non parum respondere videatur. Tandem
 contingere potest, ut filius Parentes alias rudes
 veram virtutem veramque sapientiam doceat, et ad
 eam perducatur religionem, unde aeterna salus certo sit
 expectanda. Quo bono sane nihil maius, nihilque
 praestantius esse potest. Neque tamen talia disputan-
 tur ad imminuendum in liberis grati animi studium;
 sed potius ad augendum. Teste enim Seneca, alacrior
 erit pietas, si ad reddenda beneficia cum compensandi
 aut vincendi spe venerit. Praeterea, si beneficia etiam
 solent aestimari ex respectu personae, a qua profici-
 scuntur; beneficia etiam Parentum, quantacunque
 sunt,

sunt, ideo magni debent aestimari, quia ab his pro-
veniunt, qui gerunt characterem DEI, et quibus
DEVS quasi partem iuris sui concessit. Denique cum
Parentes ordinario modo sine intentione et spe compen-
sationis bona quaevis liberis exhibeant; contra vero
liberi omnia bona ex obligatione quadam, si non iuris
perfecti, certe imperfecti, Parentibus praestent; se-
quitur, ut, quaecunque liberi iis exhibeant, certo
modo non nisi debita quaedam existimare debeant. Ete-
nim, quod iam *XVIII* praecepimus: *Gratus animus
liberorum erga Parentes tantus esse debet, quantum fa-
cultas liberorum et finis generationis atque educationis
permittit.*

XXX.

*Virum libe-
ri vitam
pro Paren-
tibus ultro
reddere te-
weantur?*

Quaeritur porro: utrum liberi teneantur, grati
animi causa, vitam pro Parentibus ponere? Sunt qui
affirment, propterea, quod aequum et gloriosum ar-
bitrantur, reddere vitam pro Parentibus, a quibus
eam accepimus. Ita Xenophon *de Venatione* p. 624,
de Antilocho refert: Ἀντίλοχος ἔπατρός ὑπεραποδανῶν
τοσάυτης ἐτυχεν ἰουκλείας, ὥστε μόνον Φιλοπάτωρ ἐπὶ τοῖς ἐλ-
λησιν ἀναγορευθῆναι *h. e. Antilochus pro Patre moriens
tantum gloriae consecutus est, ut apud Graecos solus prae-
dicetur Patris amator.* Verum haud difficulter ad hanc
quaestionem respondere licebit, si hanc propositio-
nem, qua grati erga Parentes animi limites p. 23 cir-
cumscripsimus, in memoriam revocemus: *Gratitudo
liberorum erga Parentes tanta esse debet; quantum fa-
cultas liberorum et finis generationis atque educationis per-
mittit.* Iam per se patet, primum non esse facultatis
liberorum, vitam, cuius domini non sunt, et quam
conservare divinaeque gloriae et publicae utilitati de-
stinare, a DEO iubentur, sine DEI iussu profundero.

Acce-

Acceperunt quidem vitam a parentibus : verum non tanquam a causa prima ; sed tanquam a causa aliqua secunda. Deinde etiam apparet , hanc vitae profusionem repugnare fini generationis et educationis. Hic enim requirit , ut liberi in honorem DEI , in suam et totius societatis humanae felicitatem educentur ; speciatim , ut parentes per filios vivant, adeoque nomen, genus , familiam , per eosdem propagent. Qui finis intempestiva eaque voluntaria liberorum morte haud poterit obtineri. Interim tamen pium omnino est, filium omni cura omnique ope ex mortis periculo parentem eripere ; sed ita tamen , ne ipse vitam suam sciens prudensque perdat. Quod si tamen accadat , ut in huiusmodi casu praeter intentionem vitam amittat , cum *Eichelio de Jure Parentum p. 162.* crediderim , excusari posse eius factum , a laudabili erga Patrem pietate profectum.

XXXI.

Quid ? si Pater pro imperio suo filium praeter meritum ullum mori iubeat ; an hic honeste parere potest ? Affertur in huius rei exemplum singularis Isaaci obedientia : de qua Iosephus , *Antiqu. Iud. L. II. c. 14.* censet , nefas fuisse , non obsequi , etiamsi solus Pater , sine DEI decreto , ita voluisset. Verum , ego utique statuo , filium in hac re a vinculo obedientiae solvi , et mandato Patris honeste non parere. Id quod iterum satis apparet ex ea propositione , qua fines obedientiae liberorum *num. XXII* determinavi ; cuius expositionem uberiorem , *pag. 27. et 28.* adire licet. Quod vero attinet ad exemplum Isaaci , superioribus argumentis adductus , omnino , cum Io. Chr. Becmanno , in *dissert. de exuperantia obsequii* , existimo , si absque sublimiori Numinis mandato fuisset,

Utrum iussu Parentis mori teneantur ?

*Vtrum vim
vi repellere
possint?*

cui utique parendum; nec Abrahamum sine parricidii nota manurum; nec Isaacum exuperantiam obsequii, sed obedientiam coecam, praestitutum fuisse. Longe vero gravior difficiliorque quaestio est, quae itidem huc spectat: *quid faciendum, si Pater filium plane innocentem et sine causa, violenta quidem ratione invadat, ita, ut sit praesentissimum mortis periculum, nec ullum relinquatur effugium? Vtrum tunc vim vi repellere liceat?* Profecto, horret animus, si eiusmodi casum omni naturae odiosum cogitat, et modo Parentis atrocitatem, modo filii ausum, execratur. Hinc sancta Patris auctoritas, reverenter perpetuo habenda; illinc Filii vita sancte custodienda, pugnant; ut in hoc casu liceat Filio uti verbis Ovidii:

Nilil, o carissime, praeter

Hanc animam concede mihi; tua caetera sunt.

Nihilominus, si amplitudinem et limites potestatis paternae supra num. XIII definitos respiciamus; tunc cognoscemus, hos non ultra debere extendi, quam fini patriae societatis obtinendo sufficient. Nunc autem, cum nullum Patri filium hoc modo invadendi ius sit, et ille potius pietatis naturalis sui que officii oblitus concessio iure abutatur, dum vitam filii, quam omni tueri modo debebat, atrociter perdere audet; adhaec, cum natura ipsa unicuique hominum sui conservationem defensionemque praecipiat, neque vero in huiusmodi casu filius ullo aliorum praesidio tutelaque adiuvari posse praesumatur: omnino apparet, filio tunc vim vi repellere, suamque salutem saluti Parentis anteferre licere. Filius enim aequae ac Pater in conditionem humanam locatur, iniuriaque capax est; et, si omnia debeat Patri, vitam non debet; quippe cuius arbiter nec Parens est, nec ipse filius; sed pro legibus suis solus DEVS, cui eam primario acceptam re-



refert. Adhaec Pater est etiam ex iure divino *proximus noster*; quem debemus diligere, sicut nos ipsos, non vero supra nos. Imo, Pater, quo momento tam atroci consilio invadit filium, transfilit fines potestatis suae, et, abiecto affectu paterno, induit naturam hostis atque latronis. Si itaque ex tali occasione laeditur, habet, quod suae imputet atrocitati, quae filio istam necessitatem imponit. Sunt praeterea etiam hic ea perpendenda, quae B. Durrius noster in *Dissert. de ordine Charitatis* §. 50 tradidit. *Qui naturalis*, inquit, *istius privilegii, quod propriae salutis rationem diligentissimam, imo potissimam a nobis haberi permittit, negligentior prae alieno amore esse velit, eum veniam magis, quam eximiam laudem, mereri putamus; praesertim si cogitetur, vitam nostram aequae utilem aut non multo minus utilem civili societati futuram esse: aut si ne id quidem praesumatur, illud tamen etiam debet expendi, in tali casu nec nostrae animae salutem profusus periculi esse exsortem; cum etiam in mortis extremo puncto, ex intensissimo vitae eoque naturali amore, aut dolore vulneris, vehementior ira subito erumpens poenitentiam impedire, vel penitus excludere queat.* Quae omnia in voluntaria Parentis atrocitate procedere posse videntur. Magis vero res dubia est, si Pater non sciens prudensque, sed ebrius, vel furore laborans, atque ex quadam fati infelicitate, mortem filio intendet. An non excusari possit Filius, qui horrore aut terrore quasi impeditus non resistat, ac secundum observationem III. num. XXVIII allatam exuperantiae pietatis locum relinquat, adeoque irae Patris vitam suam quasi consecrare velit; alii viderint? Certe nos, cum aliis optaverimus potius, nunquam tam tristem defendendi necessitatem usu venire, quam

cer-

certum quid in tam gravi re statuere velimus. Sed nec prorsus displicent, quae Consultiff. Herzius, *de collisione Legum, Sect. II §. 2*, tradit: posse quem se tuendi ius sine peccato aliquando omittere, modo non animi levitate, sed eo faciat consilio, ut consulat suae pietati et aliorum salutem. Ceterum pium et aequum esse, liberos alias Parentum iniurias ferre, nemo non videt. Unde nec immerito secundum Leges civiles non absque venia actio iniuriarum datur filio cum parente experiri volenti. Quin impium detestandumque facinus esse, liberos Parentibus propter meritam castigationem resistere velle, supra §. XXII monuimus.

XXXII.

Quomodo
obtemperandum
Patri
mentis non
compti?

Quaeritur amplius: quomodo filius obsequio regiminis paterni sit devinctus, si Pater non sit compos mentis, vel summe prodigus et impius, ut ipse directione atque auxilio indigeat? Respondemus, servandam esse nihilominus suam tali Patri debitam reverentiam, aut potius maiorem commiserationem, et, si fieri possit, operam auxiliatricem esse praestandam; cum character paternae naturae perpetuus maneat; alioquin, quum ex praecepto *n. XXII* probato, tanta necessario debeatur Parentibus obedientia, quanta pertinet ad obtinendum finem generationis et educationis; per se manifestum est, quoad extendenda sit haec obedientia erga parentes, qui iure suo plane uti nesciunt. Tendit enim filii obsequium etiam ad utilitatem obsequentis, ut is *bene monenti Patri* obtemperando rectius educetur. Quae ratio si cessat in Patre nullius regiminis capace; cessat et ipsa liberorum obedientia.

XXXIII.

XXXIII.

Nova occurrit quaestio: *An iure naturae requiratur consensus parentum ad nuptias filiorum; ita, ut si eae absque hoc consensu conciliatae fuerint, possint irritae haberi?* Ad quam quaestionem priusquam respondendum, pauca generatim de potestate patria circa liberorum nuptias praemonenda ducimus. Neque enim absolute affirmare licet, parentes aut posse simpliciter vetare et impedire matrimonium; aut id praecipere, suae auctoritate filios ad illud ineundum cogere; quoniam, uti quidam Philosophi loquuntur, imperium paternum circa matrimonium filiorum magis *negative*, quam *positive*, procedit. Itaque generatim quidem suadere, imo, nisi filius satis caste vivat, praecipere ei potest Pater, ut ineat honestatis et conservandae familiae causa coniugium: ut vero filius hoc tempore, hoc loco, cum hac, vel illa persona, coniungat connubium, cogere eum absolute non potest: quoniam coniugium est res liberi arbitrii, et imprimis requirit propensionem ac consensum filii. Recte enim Quintilianus, *declamat. 256: Nunquam libertas, inquit, tam necessaria, quam in matrimonio est. Quis enim amare alieno amore potest?* Sed nec generatim ullo modo in universum vetare potest Pater filii coniugium; quoniam per se est res honesta, naturalis, et generi humano salutaris, adeoque a DEO, naturae auctore, et indulta et praecepta. Taceo incommoda, quae, si Pater promiscue matrimonium prohiberet, metuenda essent. Verum, annon Parens speciatim pro sua prudentia et praesumpta in filium benevolentia recte vetare possit, ne is hoc tempore, hoc loco, cum hac vel illa persona, ineat matrimonium; alia est quaestio? Iam autem, cum coniugium liberorum maxime pertineat

An consensus Parentum necessarius sit ad nuptias liberorum?

G

ad

ad felicitatem et decus non filii tantum, sed et totius familiae, ac per consequens societatis humanae; facile apparet, quid pater in hac causa pro officio proque auctoritate sua erga liberos suae adhuc potestati subiectos facere possit ac debeat. Officium enim Patris est, ut recte consulat saluti liberorum: auctoritas eius requirit, ut, quae meliora sint, intelligere posse, et filio suadere velle praesumatur. Imo et iuris paterni ea vis est, veluti supra n. XXII ostendimus, ut filius, licet iam valeat ipse suas actiones dirigere, tamen si adhuc in domo paterna sit, et beneficiis paternis amplius frui velit, sub metu poenae amittendorum beneficiorum teneatur, praecipue actiones tanti momenti ad Parentum voluntatem componere. Quae omnia uti se satis recte habent in explicanda vi officii, iuris et auctoritatis parentum: ita quaeritur, an omnino iure naturae strictissimo Parentum dissensus eiusmodi coniugium impedire; aut potius, an idem dissensus matrimonium, quod liberi ipsis insciis invitisque iam foedere facto inierunt, et concubitu confirmarunt, iterum solvere irritumque reddere debeat? Et negamus, tale coniugium eam ob causam solvi debere: 1) Quia coniugium, uti modo diximus, sua vi et natura est res honesta. 2) quia solus consensus et pactum coniugium naturale et proximum est coniugii fundamentum; non vero consensus Parentum: siquidem, monente CL. Hochsterero, in *Collegio Pufendoriano* p. 432, id, quod *essentiam matrimonii ingreditur, nunquam ab eo abesse potest. Atqui abest consensus paternus in orphano, in viduo, et aliis.* Iam autem, uti, docente Textore, in *Synopsi iuris Gentium, c. III, p. 21*, iure naturae et gentium quilibet homo ex consensu suo per se obligari potest, in quolibet negotio, dummodo habeat sanae ratio-

rationis usum: ita liberi usu rationis valentes non destituntur naturali facultate conciliandarum nuptiarum; et, si solveretur coniugium iam initum, laederetur fides et ius coniugii. Imo omnium minime dissensus manifeste iniquus aut nulla iusta causa mixtus, impedire aut dirimere potest coniugium. 3) Equidem negari non potest, eiusmodi liberos, qui invitis Parentibus fidem coniugii foeminae dederunt, egisse contra gratum animum contraque reverentiam Parentibus debitam; adeoque non sine culpa deprehendi; quoniam deceret in re tam gravi parentum adhibere consilium, nec voluntati ipsorum refragari: attamen actus illos grato animo et reverentiae repugnantes, non irritos nullosque haberi oportere, *num. XXV*, ostendimus. Nec male asserit Pufendorfus, *de l. N. et G. L. VI, c. 2, §. 14. obligationem audiendi et reverendi alterius consilium non statim potestatem de re sua disponendi adimere*. Neque enim contra ius paternum stricte sic dictum tunc egisse existimantur liberi; quia coniugium est actus, quo liberi iam usu rationis pollentes ipsi familiam novam condunt, adeo, ut, finita tunc educatione, eo ipso cessare incipiat exercitium iuris paterni stricte sic dicti. Quam in rem conferantur ea, quae *num. XV et num. XXIII* proposuimus. Et hoc idem est, quod alii cum iuris canonici Scriptoribus asserunt, consensum Parentum non *de necessitate*, sed *de decore et honestate esse*. *Honestatem* autem, dicunt, non quidem solum quoddam placendi studium; nec tamen debitum stricte sic dictum: sed generalius *aequi bonique respectum* denotare, ita, ut, quicquid ex hac fiat, melius quidem fiat; si quid tamen contra factum sit, non reddatur irritum. Atque haec ad illa pertinent, quae n. XXVIII annotavimus.

4) Si huiusmodi coniugium forte parum ad decus et fortunas

tunas liberorum stabiliendas facere videatur; id suae culpae ipsi imputent liberi; Parentes vero, (ut Christianorum disciplinae, aut generatim honestati, convenientius loquamur,) hunc casum haud secus, ac alias calamitates divinitus immittas, aequo pioque ferant animo; praeter alia, in mentem revocantes, nec ea licere conjugia irrita reddere, quae, quamvis primo omnia rectius se habuerint, deinde tamen, teste eventu, minus voto respondeant, parumque felicia habeantur. 5) Quod si omnino in huiusmodi casu stricto iure uti velint parentes; possunt liberos familia sua faceßere iubere, et poenae loco beneficia sua iis subtrahere; nequiquam tamen ipsum coniugium ex lege naturali irritum reddere. Verum, uti piorum liberorum est, etiam iniurias parentum aequo animo ferre: ita et Parentes, pro sua prudentia et bonitate, non necesse habent, omnia iure suo agere. Praeterea 6) illud etiam est observandum, quod praeter alios monuit Consultissimus Titius, *Observat. 524 in Pufend. de Off. H. et C.* curam liberorum in praedictum socialitatis, seu aliorum iniuriam et laesionem, non esse extendendam; cui abufui in vita civili frequentissimo memorata obligatio saepe praetendatur. Tandem 7) consentientes habemus hac in re optimos quosque iuris naturae Doctores, Grotium, Pufendorium, Feldenum, et reliquos fere omnes. Nec ut alios silentio praeteream, aliter de matrimonio per *copulam carnalem* consummato Theologi etiam Tubingenses, mense Aprili, 1624 pronunciaße a celeb. Hochstetero l.c. dicuntur. Ceterum, sicubi liberi, qui ad contrahenda matrimonia nondum habiles, nec quo se suasque actiones et res regere valeant, sufficiente usu rationis instructi sunt, absque consensu Parentum

rentum matrimonia paciscuntur; horum pacta merito irrita haberi posse, non solum in univcrsum ex natura paetorum cognoscitur; sed etiam ex iis patet, quae p. 27 et 33 in medium adduxi.

XXXIII.

Paucis visum est, hoc loco eam disputationem attingere: *an per ius naturae matrimonium inter liberos et parentes initum sit contra pietatem liberorum?* Eiusmodi matrimonium grandi scelere implicari, sanctissimoque Numini inuisum esse, satis intelligunt, qui, quas leges pro immensa sapientia sua DEVS immortalis per viros sanctos humano generi tulit, norunt atque respiciunt. Quas leges etiam optimi quique rerum publicarum moderatores secuti sunt, novaque functione et statutis gravioribus poenis quasi muniverunt. Nihilominus tamen extiterunt identidem homines, qui nihil dubitarunt negare, huiusmodi incestas nuptias iuri naturae per se adversari. Imo totae gentes subinde in orbe terrarum fuere, quae, cum divinas leges per Mosen latas ignorarint, nulla reverentiae ac pudoris ratione a talibus nuptiis detineri potuerunt. Sed et, qui iustissimo zelo adducti incestus turpitudinem execrantur, subinde queri solent, non expeditum esse, quo fundamento ista naturalis turpitudinitatur. Ita cum aliis fatentur, Osiander, in *Grot. de I. B. et P.* Durrius noster, in *Compendio Theologiae moralis*, p. 359 et 370, nullam accuratam rationem turpitudinis, quae incestis nuptiis inhaereat, dari, et eam magis ex lege divina *positiva* ac communi gentium paulo moratorum consensu patere, quam firmis et intimis naturae principiis rationibusque demonstrari posse. Et Grotius *L. II de I. B. et P. c. V, n. 12*, ait: *causas certas ac naturales, cur talia coniugia, ita, ut legibus*

An incestus contra pietatem liberorum?

aut

aut moribus vetentur, illicita sint, assignare qui voluerit, experiendo discet, quam id sit difficile, imo praestari non possit. Nostrium non est, in praesenti ista ab optimis quibusque auctoribus argumenta prolata recensere, atque indicare, quae firma, quaeque minus firma videantur. Neque minus haud percurreremus alia iuris naturae praecepta, quibus incestus vitium ostendamus; cum haec res potius ad doctrinam de coniugio pertineat. Sed speciatim tantum expendere licebit, utrum huiusmodi nuptiae repugnent pietati liberorum erga Parentes, quatenus huius pietatis officia ex lumine naturae cognoscuntur? Atque tunc iubemus ipsum Lectorem benevolam tria huius pietatis munia, supra nobis asserta, nempe gratum animum, obedientiam atque reverentiam, in animum revocare, et figillatim pensare, utrum liberorum, qui iam sui iuris sunt, matrimonia cum Parentibus inita, grato animo, an obedientiae, an reverentiae, repugnent: et, si nominatim reverentiae; an existimationi et honorificae de Parentibus opinioni cum sancta verecundia coniunctae, an honori externo, an aequanimitati, an denique obsequio, adversentur? Ex his igitur ita argumentatur

Grotius, de *I. N. et G. L. II. c. V. § 12: Matrimonia parentum cuiuscunque gradus cum liberis, quae quo minus licita sint, ratio, ni fallor, satis apparet. Nam nec maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam potest praestare matri, quam natura exigit: nec patri filius; quia, quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducit societatem, quae illius necessitudinis reverentiam excludat. Bene Paulus, Iurisconsultus, cum dixisset, in contrahendis matrimoniis naturale ius et pudorem inspiciendum, addidit, contra pudorem esse, filiam suam uxorem ducere.*

Quan-

Argumen-
tatur Grotii.

Ququam fortasse Grotius haud in memoriam revocasse videtur, quod supra inculcarat, *L. II, c. V. §. 3 et 10*, solum reverentiae officium non facere, ut actus, qui ei repugnat, nullus irritusque reddatur; quod utique fieri deberet, si coniugio incesto non nisi contra reverentiam inito perpetuum adhaereret vitium. Nec meminerat fortasse Grotius, omnino vi iuris naturae, filium parenti grati animi officia exhibere, obtemperare, eundemque revereri debere: nihilo minus tamen in civitatibus usu venire posse, ut naturalis ille ordo invertatur, et filius in summo magistratu constitutus, salva pietate sua, grati animi reverentiaeque signa a Parente exigat, eidemque imperet, et, casu ferente, irroget poenas. Nec praeterea definiverat, utrum matrimonia summorum imperantium cum hominibus suae potestati subiectis contracta iuri naturae repugnent; ubi sane cives summo magistratui tantam debent obedientiam, tantamque reverentiam, quanta in humanis potest esse maxima. Nihilo minus hucusque nemine improbante fieri solet, ut Rex foeminam sibi subditam, et Regina virum suae potestati caeteroqui subiectum, in matrimonium recipiant, ita quidem, ut ex utraque parte suum quisque characterem retineat ac tueatur. Ex quibus aliquis conicere queat, fortasse eodem modo coniugia inter parentes et liberos sui iuris per certa pacta iniiri posse, ita, ut nihilo minus utriusque partis characteres serventur, aut certe ut parti volenti nulla fiat iniuria. Verum res adhuc maioris momenti est, quam Grotius eodem loco urget; dum illud potius disquirendum censet: *an non in hominibus nulla prava educatione corruptis, praeter id, quod intellectu concipi potest, sit in ipsis affectibus insita fuga quaedam commixtionis cum Parentibus et ex se natis*

Dubia.

Alterum Grotii argumentum.

tis



Exceptio
Pufendorfii.

Pudor, quo
modo ad re-
verentiam
vertitur?

*tis: quippe cum ab ea etiam quaedam animantia natura-
liter abhorreant? Enimvero, huic sententiae novum du-
bium iam opposuit Pufendorfius, de I. N. et G. L. VI,
c. 1, §. 28: nempe istam affectuum repugnantiam non
apud omnes mortales aequaliter deprehendi; et ean-
dem iactantibus reponi posse, ipsam non tam ex ingenito
principio, quam ex assuetudine et diuturnis moribus,
qui naturae indolem mentiantur, provenire, nec omne,
quod pudorem incutit, per se turpe et peccatum esse;
adeoque, etsi parentes et liberi inter moratiores gentes
ex verecundia mutua et pudore se abstineant a matri-
moniis incestis, ex hac sola causa argui non posse, ta-
les nuptias natura sua turpes esse, et probitati adver-
sari. Equidem, quod ad pudorem attinet, hunc ego
certo modo ad reverentiam referri posse haud inficior;
et tamen puto posse excusari, quod eundem supra n.
XXV inter partes reverentiae non expresse numera-
verim. Per reverentiam enim certum cultum alteri
exhibendum significavi. Nunc autem per pudorem
non tam alteri aliquid exhibeo; quam mea causa in me
motum aliquem animi sentio, ex aliqua laudis cupi-
dine ortum; quando ea egisse mihi videor, quibus
probitatis meae existimatio laedatur. Sive, ut paucis
rem complectar: pudor magis est custos reverentiae,
quam ipsa reverentia. Est enim, describente Carte-
sio, de Passion. art. 205, Pudor species aliqua tristitiae,
fundata amore sui ipsius, et orta ab opinione vel metu
vituperationis. Pari ratione pudor Aristoteli, Rhet. 2,
c. 6, dicitur δὴ πῆ λῦς καὶ λαγὰς πρὸς τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινομένη
φέρον τῶν κακῶν. h. e. dolor quidam et perturbatio in iis
quae ad offensionem existimationis videntur pertinere.
Qui pudor merito tanto magis intenditur; quanto ali-
quis tuendae auctoritatis causa maiorem gravitatem
erga*

erga alios prae se ferre; aut quanto maiorem aliis re-
 verentiam, testandae demissionis ergo, exhibere, quan-
 toque maiori cura suos aliis mores approbare debet.
 Sed nec horrorem illum, ad quem provocatur, aiunt
 nonnulli, per se impietatem et turpitudinem quandam
 indicare, ob quam actus aliquis iure naturae illicitus
 haberi debeat; propterea, quod aliquando certa etiam ani-
 malia, quae aut nunquam antehac vidimus, aut quae nocere
 nobis posse opinamur, mirum in modum horreamus; quae
 tamen postea, ubi nobis familiariora aut minus noxia visa sunt,
 attractare haudquaquam turpe sit atque impium. Imo, per-
 gunt, si utique horror ille in iustis parentum et liberorum nu-
 ptis sit revera naturalis, necesse esse, ut ille horror tunc quo-
 que vim suam exerat, ubi parentes alioquin verecundiae et
 honestatis studiosissimi ex ignorantia cum liberis non cognitis
 matrimonium ineant. Quae cum ita sint, ex iis, quae hactenus
 diximus, ita concludimus: Licet matrimonia alias sint in-
 se honesta et societati humanae salutaria; licet non culpanda
 intentione ineantur; imo licet inter gentes, ubi, pro consue-
 tudine nulla habetur incestus ratio, a Parentibus et liberis eius
 aetatis, eiusque iuris ac constitutionis, contrahantur, ut finis ma-
 trimonii satis adhuc obtineri possit: ea nihilominus tamen, si
 omnino repugnant pietati liberorum erga Parentes, non posse
 non speciatim repugnare reverentiae, quia haec reverentia in-
 ter has personas naturalis, ideoque naturaliter sanctiori pudore
 custodienda videtur, quam in adventitio quodam statu illa civis
 alicuius reverentia, superiori debita, quae auctoritatem paternam
 et reverentiam *filialem* nunquam prorsus supprimere debet.
 Sin omnino sunt, qui hac in re nullam vim pudoris ac reve-
 rentiae in se deprehendant; semper possumus eo recurrere, id fieri
 ex prava educatione vitiosoque habitu. Denique, nisi quis ad
 communem doctorum iuris naturalis querelam velit consu-
 gere, licet provocare ad constantem consensum et consuetu-
 dinem

*Quid horro-
 in morali-
 bus efficiat?*

*Sententia
 praeciudi-
 cialis.*



dinem culturarum quarumvis gentium; item ad incommoda varia et facta decori legibus haud convenientia, quae ex huiusmodi matrimonii dimanare manifesto ostendi possunt. Alias rationes illi suppeditant, quae ex instituto hoc argumentum pertractant; quos hac in re adeundos consulendosque existimo.

XXXV.

Quomodo
liberi tene-
antur satis-
facere vo-
luntati Pa-
ventum
in votis

Quaeri etiam solet inter scriptores morum: *An liberi obligentur votis Parentum?* Ad quam quaestionem ita respondemus: Si votum de re honesta aut licita nuncupatum restringatur ad eiusmodi actiones, quas liberi perficere possint, quoad potestati paternae sunt subiecti; credo, eos oligari: quoniam tunc vis iuris paterni in moderandis liberorum actionibus maxime se exserit; sicuti *num. XXII* pluribus docuimus. Sin votum respiciat res et actiones, quae per omnem vitam sustinendae essent atque exequendae; nego, liberos vi iuris naturae talibus votis in perpetuum teneri. Certe satis excusari posse videntur, qui paternae potestati subiecti voto quidem huiusmodi satisfacere coeperint, deinde vero soluti a paterna potestate graves ob causas idem votum dissolvere constituent. Nihil enim efficaciter promitti voverique potest, nisi res fuerit in potestate et iure promittentium, ut promissa queant expleri. Vota in primis non ex alieno arbitrio, sed ex proprii animi instinctu, dependent, suaeque obligandi vim nanciscuntur. Atque pater actionibus liberorum tamdiu quidem praeesse potest ac debet, quamdiu ipsi nondum immunes sunt a potestate paterna: sin vero cessaverit usus illius potestatis paternae, cessabit et regimen atque obligatio istarum actionum per votum quoddam iniunctarum, secundum ea, quae *num. XXIII* tradidimus. Deinde iniquum esset, alicui aut invito, aut nondum sufficienti iudicii usu praedito, aliquid per omnem vitam sustinendum vi voti imponere velle, ad quod alioqui nulla animi propensione ferretur. Quemadmodum itaque iure Pater non potest aliud vovere, quam se, quantum valeat, curaturum, ut liberi

liberi exsolvant votum : ita singularem pietatis laudem ii pro-
 mereri videntur, qui, nisi gravioribus caussis impediatur, ni-
 hilo minus, quantum fieri potest, parentum suorum votis sa-
 tisfacere student. Qua de re plura habent, qui ex instituto de
 votis scripserunt; hucque pertinet Disputatio M. Schmidii, *de*
Theologis in utero materno consecratis, Lipsiae 1706 habita.
 Haud secus ille etiam filius bene agere existimandus est, qui, ^{in promissa}
 si per animi sui propensionem, et per fortunae conditionisque ^{conjugio?}
 suae rationes liceat, eam ducat uxorem, cui bene de se me-
 ritae Pater filii coniugium promiserit, aut per testamentum pa-
 ctus fuerit; etiamsi Filius nullo iure stricto ad eiusmodi ma-
 trimonium adigi queat; quoniam non Parentum voluntas, sed
 contrahentium consensus, tanquam primaria causa matrimo-
 nium constituunt. Eodem modo pie laudabiliterque in certo
 vitae genere ingrediendo auctoritatem Parentum, tanquam ^{in constitu-}
 prudentiorum, sequuntur liberi, nisi vel ad intolerabilia, vel ad ^{endo vitae}
 absurda et turpia ducantur: ad quae nulla unquam datur obligatio. ^{genere?}
 Imo nec tenentur iis obsequi Parentibus, qui honestum quid-
 dem ac laudabile, sed eiusmodi vitae genus ipsis suadent atque
 praecipuunt, cui sint impares, et a quo genius ipsorum atque
 indoles plane abhorreat. Etenim, si in his necessario liberi obe-
 dire deberent parentibus, fieri non posset, quin ex huiusmodi
 coactione plura incommoda, quam commoda, in ipsos liberos,
 in familiam, inque rem publicam provenirent. Id quod fini edu-
 cationis omnino adversaretur.

XXXVI.

Properamus *ad comparata liberorum officia*, hoc est, ad eius- ^{Quae obser-}
 modi officia, ubi necesse est, liberos in ope ferenda faciundoque of- ^{vanda in}
 ficio alios alii anteferre, ita, ut et Parentibus et aliis sua praestare ^{decidendis}
 debeant officia; neque tamen, si vel maxime velint, ea simul prae- ^{casibus, qui}
 stare queant. Haec saepe est difficilima in moralibus disputatio; ac ^{ad compa-}
 digna omnino, quam quis ex instituto ingrediatur. Nobis in prae- ^{rata libero-}
 senti brevissimis esse licebit. Ut vero quodammodo intelligatur, ^{rum officia}
^{pertinent?}

utra obligatio alteri debeat cedere, siquidem utrique satisfieri nequeat; sequentia, quae alioqui generatim ad fontes comparationum pertinent, ducimus observanda. Primo, ea huc quoque esse transferenda, quae iam *num. XXVIII* notata fuerunt. 2) Hominum leges et consuetudines semper cedere voluntati et legibus DEI. 3) salutem publicam praefere[n]dam esse privatae. 4) Quae obligationem perfectam habent, anteponenda esse iis, quae debentur tantum ex obligatione imperfecta. 5) Singulos homines integris cedere societatibus. 6) Quae causas magis honestas et utiles habent, iis anteferri; quae causas minus honestas et utiles habent. 7) Eo plus diligendum et tuendum esse alium, quo propius accedit ad communionem bonorum nostrorum, et quo magis honesto nostri ipsorum amori succurrit.

Car DEO
magis obediendum,
quam Parentibus?

XXXVII. Illud itaque extra dubium est, in omnibus rebus, DEI maiorem, quam hominum aliarumque creaturarum, rationem habendam esse. Immensa enim beneficia DEO debemus; immensa est eius in nos potestas, immensaque Maiestas ac bonitas. Qui itaque supremus perfectissimusque omnium est, cum eo nihil inferius meretur comparari. Praestantissimus locus est Hieroclis, ad aureum carmen Pythagorae, quem Latine saltem huc transcribere licebit: *Si divinis, inquit, legibus repugnat aliquando parentum voluntas; quid eos facere aliud oportet, qui in istius legis pugnam incidunt? Quid aliud, quam quod facere oportet, ubi plura officiorum praecepta casu inter se colliduntur? Honestis enim duobus propositis, quod maius est, minori decet antepone, cum utroque frui non licet. Exempli causa: honestum quidem est DEO obedire; sed et Parentibus obedire honestum est. Si ergo ab utraque parte idem suadetur: lucrum in eo est; et res plane evidens. Sin ad aliud quidem te inducat divina lex; ad aliud vero parentes: in hac voluntatum dissensione meliora sequi praestiteris; et in iis solis non obsequendum parentibus, in quibus ipsi divinis legibus non obsequuntur. Qui enim virtutis praecepta velis*

velit observare, is ea violentibus consentire non potest. Haec quamvis plana sint omnibusque cognita; nulla tamen in re frequentius ab hominibus offendi peccarique videas.

XXXVIII

Post Deum primo ipsi nobis se offerunt Parentes; qui si inter se contendantur, dubitari potest, patrīne plus obsequii plusque auxilii, quam matri, debeatur? Verum etsi ordinario modo liberi magis obstricti sint Patri, quam matri; fieri tamen potest, ut mater aliquando Patri recte anteferatur. Id quod ex iis satis constat, quae supra, num. X p. II, differuimus.

Quid faciendum, si Pater et mater inter se contendantur?

XXXVIII

Sed nec difficile est definire, utri plus debeatur, si Patria et cum Patria et universa republica componatur? Cum enim Patens tantum particula aliqua sit patriae, et pars cedere debeat toti, h. e. cum commoda singulorum posthabenda sint commodis integrae societatis; quis non intelligit, ipsam salutem Patriae anteponendam esse saluti parentis? Videatur *Dissertatio Sam. Pufendorfi de obligatione erga Patriam*. Romani certe non solum parentes patriae postponendos esse; sed ipsis etiam a filio, defendendae patriae causa, sine scelere vim inferri posse, constanter tradiderunt, teste Marcello, in L. 35, de sumptibus fuserum. Ea tamen cautio est adhibenda, ut per patriam, haec, in qua vivimus, respublica intelligatur; nec iniqua sit causa, in qua operam ipsi nostram praestemus. Pulcherrima est sententia Ciceronis, L. III, de offic. c. 23, quae huc spectat: *Quid si pater, inquit, sana expilet, cuniculos agat ad aerarium, indicetne id magistratibus filius? Nefas id quidem est. Quin etiam defendat Patrem, si arguatur. Non igitur patria praestet omnibus officiis? Imo vero: sed ipsi patriae condiscit, pios viros habere in parentes. Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere, conabitur pater? silebitne filius? Imo vero obsecrabit Patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam. Ad extremum, si ad perniciem patriae respectabit, patriae salutem anteponet saluti patris.*

Si Patria et Parentes inter se contendantur?



XXXX.

*Si parentes
et coniux
inter se con-
tendantur?*

Quodsi parentes et coniux in eadem necessitate concurrant, ceteris paribus, coniugis utique potior ratio est habenda. Nam, quamvis ceteroqui parentibus plus quidem debeatur reverentiae; coniugibus tamen magis ea debentur, quae ad vitae societatem et communionem pertinent. Primum enim coniugi per firmissimum pactum perfecta obligatione; parentibus ex sola reverentiae et grati animi lege obstrictus sum. Deinde coniux omnium proxime accedit ad communionem iurium nostrorum. Est enim coniugium, docente Becmanno, *in Lineis doctrinae moralis, c. XVI, §. 2.* maxima coniunctio, quae consistit in mutua participatione omnium divinatorum humanorumque iurium. Imo arctissima haec est societas, qua, vel divinis literis docentibus, ex duobus quasi unum fit corpus, ita, ut, relictis parentibus, coniux adhaereat coniugi.

XXXXI.

*Si parentes
et liberi no-
stri inter se
contendantur?*

Paulo maiorem in difficultatem res incurrit, si in eodem necessitatis casu parentes cum liberis sint conferendi? Exempli causa, si ego, et Pater meus, et filius, si quem haberem, a barbaro hoste capti essemus, hostisque promitteret, se alterutrius vitam mihi condonaturum; anceps profecto et gravis foret optio, Patremne, an filium, eligere deberem? Equidem, praeter alios, Aristoteli, *L. VIII Ethic. c. 2.* parentes prae omnibus, imo prae se ipso, videntur redimendi ac conservandi; sunt tamen rationes, ob quas liberi bonae frugis praeferrantur parentibus. Primo id patet ex natura honestae gravitatis, seu amoris sui ipsius. Hic amor in primis praecipit conservationem sui ipsius; deinde et conservationem eius, qui ad conservationem sui proxime accedit. Nunc autem nos magis conservari posse videmur, conservatis liberis nostris; quam conservatis parentibus. In filiis enim vivere et genus per eos propagare cupimus; ac revera amor erga liberos fundatur amore sui ipsius. Veritati enim omnino consentaneum est, quod Vffelmannus, de iure, quo homo homini in sermone obligatur, cap. 1, scripsit: *Si parentes liberorum salutem suam aliquando anteponunt, et gravius eorumdem calamitate commoventur, quam sua; non maior est, quam gravitas putanda est. Sed dum parentes liberos suos vehementissime amant, se ipsos vehementius amant. Ob arctissimam nempe necessitudinem liberorum.*

*Argumenta
pro liberis
praeferrendis
1.*

tum bona, tum mala, non tantum sua ducunt optimi parentes, sed etiam duplicari illa indicant; quorum et ipsi et liberi, veluti partes eorum, sunt participes. Quid igitur mirum, si gravius sauciet telum per tam amicum pectus ipsos parentes petens? Hinc, credo, satis intelligitur, unde, quod vulgo dici solet, amor magis descendat, quam ascendat. Deinde, praeferendos esse liberos parentibus in casu summae necessitatis, patet ex diversis fontibus diversaque natura obligationis erga parentes, et obligationis erga liberos. Nimirum parentibus nostris benefacere tenemur ex lege grati animi; quae obligatio primum in se tantummodo est imperfecta, uti supra docuimus; quanquam non nesciam, eandem, urgente necessitate, induere naturam obligationis perfectae. E contrario obligatio sobolis educandae conservandaeque ex fine societatis paternae semper est perfecta, etiam extra casum necessitatis. Tertio, sententiam meam etiam quodammodo a posteriori ex quadam *hypothesi* demonstrare possum. Si scilicet id minus iuri naturae et honestati convenire iudicandum est, per quod, si id quidem ab omnibus omnino hominibus fieret, tota societas humana interiret; manifestum est, magis convenire iuri naturae conservationem liberorum, quam conservationem Parentum: quoniam, si omnes omnino homines finerent perire liberos suos, citius interitum esset genus humanum; quam si finerent omnes perire Parentes. Denique non opus est, ut pluribus urgeam illud, quod ab aliis afferri solet; rempublicam et humani generis societatem maiora adhuc commoda expectare posse a filio iustae aetatis, quam a seniore, cui per naturae conditionem iam vitae finis imminet. Equidem aiunt nonnulli, vitam iis maxime conservandam esse, a quibus ipsi vitam accepimus. Respondeo, hanc obligationem quidem in se et extra casum comparationis veram esse; sed quaeritur hoc loco, annon magis obligemur ad conservandam illius vitam, cui eandem nos ipsi dedimus? Et hanc obligationem maiorem esse, praeter alia, ex rationibus modo allatis, satis apparet. Rursus alii excipiunt: eos potius conservandos esse, quorum iactura plane est irreparabilis. Sed respondeo, hoc argumentum quidem aliquando locum invenire posse, sed non semper, nec absolute. Ex hac enim causa aliquando Intaphernis uxor, cui Darius optionem permiserat, ut unum ex propinquis eligeret a morte liberandum, posthabito marito ac liberis, male et inique fratrem elegit, etiam si,

II.

III.

IV.

Dubia.

etiam si, referente Herodoto, Lib. III, c. 118, praetenderet, alium se maritum et liberos, sed nullum fratrem obtinere posse, quippe parentibus suis dudum mortuis. Etenim rectissime inouit Summe Rever. Buddeus, in *Dissert. de comparatione obligationum*, §. XXXVIII, electionis rationem non ex difficultate recuperandi, sed potiori ac iustiori causa amandi, petendam esse; nec fratrem solum non potuisse recuperari, sed nec Intaphernem, nec Intaphernis filium.

XXXVII.

Si Parentes
et Praeceptores
inter se contendantur?


Fieri solet, ut etiam inter se contendantur Parentes et Praeceptores. Unde disputatio existit: utris maior pietas debeatur? Non desunt, qui Praeceptores Parentibus praeferebunt. Ita praeter alios scripsit Simplicius in *Epicet. c. 37*: *Οι πατερες εσται και ετιμωθησασαι ε τω σοφωτατη φησιν, αλλ ημων αυτων, και εδω και αυτων την φυσικη, εσται οι γονεις, αλλα κατα προαληθειαν αγαθην μιμησονται την θεαν αγαθότητα.* h. e. *Hi altiores et curatores non corporis nostri, sed nostri ipsorum sunt; nec necessitate aliqua naturae, ut Parentes, sed bona voluntate, divinam bonitatem imitante. Verum, utique Parentes Praeceptoribus anteponebunt censeo. Rationes autem, quae ex superioribus non difficulter colligi possunt, brevitatis causa iam praetermitto. Interim Celeberr. Buddeum loco paulo ante allegato hac de re commentantem adire licet.*

XXXVIII.

Haec sunt, quae in praefens de limitibus pietatis liberorum erga parentes commentari volui. Plura fateor, restant, quae huc afferri possent. Sed nolo patientia benevoli Lectoris abuti. Ceterum, quemadmodum haec non nisi veritatis studio atque amore scripsi; ita profiteor, haud aegre a me impetratum iri, ut, sicubi meliora et certiora edoctus fuero, aliorum rationibus lubens subscribam.








Altdorf, Diss., 1710-11

X 234.4169





DISPUTATIO INAUGURALIS
De *1710* *5*
**LIMITIBVS PIETATIS
LIBERORVM ERGA
PARENTES**

QVAM
IVSSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
INCLVTA ACADEMIA ALTORFINA
P R A E S I D E
CHRISTIANO GOTTL. SCHVVARZIO

PROFESSORE PVBLICO ET INSPECTORE NORICO
SVMMI IN PHILOSOPHIA HONORIS
IMPETRANDI CAVSSA

AD D. VIII. CAL. IVLII. A. R. S. *do 1710*
PVBLICO DISQVIRENTIVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS
IOH. CHRISTOPHORVS OESTERLINVS
NORIMBERGENSIS

ALTORFI NORICORVM
LITERIS KOHLESII VNIV. TYPOGR.

335
12

